QUAESTIONES CHARITONEAE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS IN ACADEMIA VIADRINA VRATIS-
LAVIENSI RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ET


UNA CUM SENTFNTIIS CONTROVERSIS

DIE III. MENSIS NOVEMBRIS A. MDCCCLX.

PUBLICE DEFENDET


AUGUSTUS GASDA

SILESIUS.



ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:

G. DZIALAS, DR. PHIL.
ED. KOBELT, SEM. REG. SOD.
A. KUNTH, STUD. PHIL.



OLESNAE,

FORMIS ADOLPHI LUDWIG.

Sententiae controversae.


I. **A**lciph. 1, 2 lego: *σπόγγους ἡμῖν ἐπέταττε καὶ τὰ ἐκ τῆς θαλάσσης ἔρια, ἃ φύεται ἐπιεικῶς ἐν εὐηνέμοις λίμναις.*

II. Luc. LIII., 4 verba corrupta sic emendaverim: *ἀψῖσι δὲ πάντῃ ὑποτόνοις καὶ πρὸς ἀσφάλειαν συνεχομέναις τὸ ὅλον κρατυνάμενος.*

III. Perperam mutavit Cobetius locum Xenophontis apol. Socr. § 9: *αἱρήσομαι τελευτᾶν μᾶλλον ἢ ἀνελευθέρως τὸ ζῆν ἔτι προσαιτῶν κερδᾶναι τὸν πολὺ χείρω βίον ἀντὶ θανάτου*, ita *αἱρ. τελευτῶν μ. ἢ. ἀν. τ. ζ. ἔ. π. κ. τ. π. χ. β.*, expuncto *ἀντὶ θανάτου.*

IV. Themist. orat. XXI., 261 b. pro *ὑπερωνεῖσθαι*, nulla voce, scribendum *ὑπωνεῖσθαι.*

V. Fugit grammaticos ratio comparativi, qualis est apud Hor. ep. ed. 5, 49 sat. 1, 5, 41. Corn. Nep. 15, 2, 1, alios.



I.

De vita et aetate Charitonis.

Quum multi sunt, qui Eroticorum libros argumenti dulcedine pellecti legunt, tum pauci exstiterunt, qui non tam fabularum novitate animos delectandi causa, quam ut Graecitati cognoscendae operam philologicam navarent, illorum lectionem frenquentarunt. Sed ut in iis Heliodorus imprimis et Longus tertiusque post hos Achilles Tatius lectitantur et ne Xenophontem quidem perpetua oblivio pressit, ita Chariton omnium minime et lectus et editus est. Nam editionem principem a Dorvillio, viro doctissimo, Amstelodami anno 1750 curatam et Lipsiae curis Christiani Danielis Beck anno 1783 typis iteratam post centum demum et sex annos altera secuta est, Didotianam dico Eroticorum omnium editionem, quam Hirschigius Batavus satis negligenter edidit. Hisque duobus novissima accessit multo melior editio, quum ceteros Heliodoro excepto, tum Charitonem complectens Rudolphi Hercheri, qui pro sua sagacitate et sollertia permultis locis tantum lumen affudit, ut nunc demum jure judices Eroticorum libros foedis maculis purgatos exstare. — Neque tamen eo magis de vita et tempore Charitonis compertum habemus: neque enim quisquam antiquiorum quidquam de illo memoriae prodidit, neque recentiorum ullus operae pretium habuit de vita et aetate ejus diligentius inquirere. Et primus omnium is, cujus potissimum hoc erat, Dorvillius, pauca quaedam de eo conjectavit, non probavit in praefatione (pag. 12, ed. Lips.) haec verba faciens: „aetatem hactenus definire posse videmur, ut saltem post Heliodorum, Achillem Tatium et Longum aevum egisse tuto statuamus, immo post ipsum Ephesium Xenophontem. Hi enim omnes tersiore et puriore dictione usi fuerunt; quamquam paucissimae locutiones in

nostro deprehendantur, quas non meliorum auctorum vindicet exemplum." Vides, ut unicum suum argumentum vix prolatum statim ipse sustulerit, quod ii facere solent, qui nihil certi proferre possunt. — Neque vero poterat ille quidquam de hac re luculentius et testatius afferre, quum commentariis suis in Charitonem justo diffusius scriptis non tam id egerit, ut dictionem illius exemplis quam plurimis et ex ipsius libro et ex ceterorum Eroticorum desumptis illustraret et enuclearet et cum dictione aliorum scriptorum compararet — quo facto si nihil explorati, at certe probabile aliquid de aetate eruere poterat — quam ut apotelesmatica Manethonis, qui fertur, anthologiam Graecam et alios libros artis criticae ope emendaret, illius ipsius, cujus causa opus erat susceptum, obiter quasique per occasionem rationem haberet.

Alter post illum suam de hac re sententiam dixit Adamantius Coraes in praefatione editionis Heliodori ad Alexandrum amicum scripta his verbis: *ὁ ἐκδότης αὐτοῦ Δορβῖλλος δικαίως τὸν νομίζει μεταγενέστερον τοῦ Ἡλιοδώρου, τοῦ Ἀχιλλέως Τατίου, τοῦ Λόγγου καὶ τοῦ Ξενοφῶντος. Ἡ μυθιστορία του ὁμοιάζει πλέον τὰ κοινῶς λεγόμενα παραμύθια παρὰ τὰ δραμάτικα συντάγματα· τόσον εἶναι ἀνεπαίσθητος ἡ πλοκή της. Ἐκφράζει πολλάκις καὶ αὐτός τὰ πράγματα μὲ φράσεις ἐπαρμένας ἀπὸ τὴν κοινὴν συνήθειαν, ἐκ τοῦ ὁποίου συμπεραίνω, ὅτι Χαρίτων ἔγραψε τὴν μυθιστορίαν του πρὸς τὰ τέλη τῆς ὀγδόης ἴσως καὶ τῆς ἐννάτης ἑκατονταετηρίδος.* Ergo ex simplicitate narrationis et ex verbis antiqua illa et pura Graecitate indignis, ni fallor, ille ratiocinatus Charitonem posterioris aetatis esse voluit; sed equidem vereor, ne illa simplicitas prioribus temporibus aeque conveniat, quam posterioribus; haec autem verba apud Charitonem aut omnino non sint, aut, si sunt, apud alios quoque scriptores saeculo octavo nonove priores inveniantur.

Neque aliud quidquam judicasse comperi Struvium in libro „Abhandlungen und Reden", qui prodiit Regiomontii anno 1822, quem librum me nancisci nondum potuisse doleo; suspicor tamen virum doctissimum idem iisdem de causis, quibus Graecum, judicasse. Negat autem Fridericus Jacobs, homo in litteris caden-

tis Graecitatis tam versatus, quam qui maxime, hoc sibi probabile videri in encyclopaedia Gruberiana (v. Chariton).

Mire agit Dorvillius, qui postquam initio commentarii omnes, quos nancisci poterat, Charitones perlustravit pariterque urbes, quibus Aphrodisias nomen fuit, percensuit, in hanc tandem opinionem incidit, ut opinetur utrumque nomen esse fictum neque illum, qui fabulam de Chaerea et Callirrhoe conscripsit, vera nomina et suum et patriae, professum esse. Cf pag. 201 ed. Lips. Ita sane illa opera nominum undique conquirendorum supersedere poterat; sed equidem ut non nego „neminem inter Charitones ab illo enumeratos esse, ad quem ulla probabilitate hoc opus referri queat", ita hanc conjecturam ut parum probabilem respuo. Sive enim ceteros Eroticos respicimus, quos aetas tulit, nemo horum fabulae suae fictum aliquod nomen praeposuit (quamquam Longi de nomine parum constat), sive omnino antiquitatis morem et consuetudinem; nihil certo est, cur illum putemus fabulam caste et pudice conscripsisse, conscriptae ita puduisse, ut sub alieno nomine ederet. Quis est enim gloriae adeo non studiosus et modestus, ut non cupiat suum ipsius nomen vel libro condito, vel alio modo immortalitati consecrare? Sane erat aliena talis modestia ab aetate sophistarum, (quorum numero sine ullo dubio Chariton addendus est) quos nihil antiquius habuisse ex ipsorum testimoniis scimus, quam ut declamationibus, orationibus ethopoeiis, epistolis, dialogis, libris denique cujusque generis, laudem et gloriam et apud illos, qui tum erant, et apud posteros sibi conciliarent.

Non praetereundem censeo epistolium quoddam, quod exstat apud Philostratum ep. lib. 1. 66*) datum ad cognominem quendam, qui Dorvillium fugit; non quo mihi persuasum esset hunc Charitonem, quem Lemnius acerbe invadit, autorem fabulae esse de Callirrhoe, at si tamen ex illis unus scripsisse opinandus esset, nemo certo omnium ejusdem nominis, hunc, de quo agitur, librum majore probabilitate condidisse videtur, quam hic, quem appa-

*) *Χαρίτωνι· Μεμνήσεσθαι τῶν σῶν λόγων οἴει τοὺς Ἕλληνας, ἐπειδὰν τελευτήσῃς, οἱ δὲ μηδὲν ὄντες, ὅποτ' εἰσίν, τίνες ἂν εἶεν, ὅποτ' οὐκ εἰσίν;*

ret, non medicinos libros scripsisse, aut in ecclesiasticorum hominum numero fuisse, sed Philostrati aemulum et ut illum, sophistici generis scriptorem.

Exstat etiam titulus quidam Atheniensis sequioris temporis in corpore inscriptionum Graecarum, in quo Charitonis alicujus fit commemoratio, pag. 510: *'Αφροδισία Χαρίτωνος Παιανιέως θυγάτηρ.* Qui titulus quum ad Dorvillii opinionem extenuandam quodam modo apta videtur, si quidem non veri similius est habuisse unum Charitonem filiam Aphrodisiam, quam alterum natum esse in urbe Aphrodisiade; tum si quis est propensior ad cogitationes paullo audaciores, fingere poterit animo Charitonem Aphrodisiensem Athenas migrasse ibique ab Atheniensibus civitate donatum filiam Athenis natam Aphrodisiam nuncupasse in honorem patriae.

Sed haec a me nunc disputata, quoniam ita comparata sunt, ut nihil certi ex iis de aetate et vita Charitonis efficiatur, jam alia mihi via et ratio ingredienda est. Primum enim videndum est, num quid ejusmodi in libri argumento inveniatur, quod pertineat ad vitam et conditionem autoris quasi inviti indicandam, deinde quam diligentissime animadvertenda sunt et observanda verba omnia, quibus Chariton usus est, tum accurate circumspici necesse est etiam grammaticae campum; quo facto, ni fallor, permulta apparebunt, quae cum aliqua probabilitate aetatem et tempus scriptoris significent, si ea comparaveris cum aliis similibus in iis auctoribus, qui quando vixerint, satis constat. Neque vero etiamsi minus continget Charitonem certis quasi quibusdam temporis terminis inclusisse, omnem me operam perdidisse existimabo, dummodo probabiliter ostenderim ante certum quoddam tempus nostrum vixisse non potuisse; id quod etiam Osannio v. d., non aliter contigit in „prolegomenis ad Eusthatii Macrembolitae de amoribus Hysminiae et Hysmines drama ab se edendum". Namque id modo ille demonstravit Eusthatium ante saeculum decimum fuisse.

Et ut initium faciam ab eo, quod Chariton argumento libri et narratione ipse de sese prodidit, hoc quidem animadvertisse mihi videor, illum Miletum urbem vidisse in eaque vixisse. Nam de aliis omnibus urbibus, quas commemoravit, Athenis, Syracu-

sis, Babylone, aut nihil fere dixit, aut quae omnino res desiderabat, quaeque omnes homines nota habebant, cfr. de Syracusis 54, 12 ed. Herch.: *τοὺς Συρακουσίων λιμένας*; de Athenis atque Atheniensibus 19, 29: *Ἀθῆναι πλησίον, μεγάλη καὶ εὐδαίμων πόλις κ. τ. λ.*, de Babylone 86, 30. Contra longe aliter idem fecit in Mileti commemoratione; novit enim 20, 18. portum quendam, qui octoginta stadia ab urbe aberat, *εὐφυέστατον εἰς ὑποδοχήν*; pag. 94, 14, autem etiam nomen cujusdam portus nobis tradidit, quod ne Strabo quidem, qui 1, 14. hoc solum docuit quatuor fuisse Mileti. Charitonis verba sunt: *μέχρι τῆς οἰκίας, ἥτις ἦν ἐπ' αὐτοῦ τοῦ λιμένος, τοῦ Δοκίμου λεγομένου.* Deinde 70, 5 Dionysium ad Callirrhoen dicentem facit: *καλοὶ δὲ Μιλησίων εἰσὶ λιμένες*, cfr. etiam 27, 26 et 50, 18. Neque quisquam credet talia Dionysium fuisse dicturum, nisi ipse Chariton portuum amoenitatem cognitam haberet. Quibus locis de Milesiorum portubus adde hunc, qui est 50, 9 (Mileti res agitur): *καὶ περὶ τὸ ἱερὸν τῆς Ὁμονοίας ἠθροίσθη τὸ πλῆθος, ὅπου πάτριον ἦν τοῖς γαμοῦσι τὰς νύμφας παραλαμβάνειν*; qui est adeo gravis et conspicuus, ut nihil sit, cur de eo verba faciamus. Ut brevi dicam animi sententiam, tota res, credo, tam manifesta est, ut si quid recte conjecerit Dorvillius, de fictis nominibus hominis et patriae, nulla alia urbs dignior esse videatur, quae putetur Charitonem peperisse, quam Miletus.

Jam venio ad eam partem disquisitionis, in qua non de vita et patria hominis agitur, sed de tempore et aetate, id quod multo gravius esse puto quum ad litteras Graecas cognoscendas, tum ad sermonem et genus dicendi sophisticum illustrandum.

Haec autem disquisitio tota in eo est posita, ut intelligamus, quibus potissimum verbis dictionem suam composuerit quidque de grammatica et genere dicendi statuendum sit.

Et quod attinet ad vocabulorum delectum, jam ab initio ex oratione parum ornata et tenui nonnullisque locis etiam jejuna et arida id divinavi Charitonem haud ita cupidum fuisse, ut Atticis verbis solis uteretur neque omnino serioris aetatis dictionem respuere aut voluisse aut potuisse; id quod evento comprabatum est. Etsi enim multa inveniuntur, et verba, et dicta, quae Atticorum imi-

tationem prae se ferunt, si in universum judicaveris, Chariton ut unus *τῶν κοινῶν* locutus est etiamque multa admisit, quae quia ab Atticorum usu et consuetudine abhorrebant, a grammaticis illius aetatis vituperari solent. Itaque si apud illum quaedam reperientur, quae ultimo demum tempore dici coepta sunt, Charitonem putare debebimus Byzantinae aetatis scriptorem fuisse; contra ea si ejusmodi nihil offendemus, quod non tueatur auctoritas et testimonium primorum post Christum natum saeculorum, satis jam confidenter concludere poterimus hisce temporibus illum vixisse.

Omissis igitur iis vocabulis, quae per totam Graecitatem usu viguerunt, qualia sunt *ἀνήρ*, *γυνή*, *καί* alia et ne illis quidem enumeratis, quae ab Atticis formata posteriorum imitatio partim retinuit, partim oblita est, ad ea statim transeamus, quae veteribus illis ignota aut intacta sequiores saepe audacius, quam felicius aut plane novaverunt, aut ex Homero et aliis poetis et Herodoto repetiverunt. Haec autem quum numero sint plurima, divisio fiat talis, ut primum ea enumerentur et recenseantur, quae inde ab aetate Macedonica usque ad Constantini tempora in usu fuerunt, post quem Graecitatem magnopere esse corruptam et depravatam apud omnes constat; tum illis succedant, quae apud scriptores Constantini aetate inferiores leguntur.

στρατολογεῖν 1, 2, 1. 1, 7, 2. 1, 12, 5. — Dionys. Hal. a. R. 11, 24. Plut. Mar. 9. Diod. 16, 73. 12, 67. 14, 54.

προςαγρυπνεῖν 1, 2, 3. Plut. mor. 1093 C. Clem. Alex. protr. 803.

προκατασκευάζομαι medium. Polyb. 10, 22, 1. Diod. Sic. 16, 10. Activum legitur apud Xenophontem. C. disc. 3, 1, 19.

δημοποκεῖν 1, 5, 3. Plut. C. Gr. 9. App. civ. 1, 59. 4, 94 et Syr. 16.

ἀποστεφανοῦν 1, 5, 4. Luc. Jup. trag. 10. Philostr. ep. 55.

παρολκή 1, 5, 7. Alciphr. ep. 1, 22.

μελανείμων 1, 6, 3. 3, 4, 4. 5, 9, 7. Apud Atticos poetae soli usurpant. Aesch. Eum. 376. — Polyb. 2, 16, 13.

Plut. saepe. Participium *μελανειμονῶν* dixit 1, 12, 6; nisi malis sequi Hercheri probandam conjecturam *μελανείμων*.

συγκροτεῖν 1, 7. 1. congregare est in hac significatione modo posteriorum, Polyaeni 3, 11, 7. Herodiani 1, 9, 3. 2, 14, 12. 1, 6, 8, uno loco excepto, qui est Xenophontis h. gr. 6, 2, 12. *συγκροτεῖν* 5, 2, 1 instituere, comparare et ipsum novitium. Herod. 7, 2, 4. Luc. Tox. 13. somn. 12.

παλιγγενεσία 1, 18, 1. Jos. a. Jud. 11, 3, 9. Plut. mor. 998 C. Marc. Aurel. 11, 1. Long. 3, 4.

ἀπελπίζω 1, 8, 3. 3, 3, 16. 7, 1. 3. Polyb. 15, 10, 7. Diod. 17, 106. 2, 25.

μεσονύκτιον 1, 9, 1 dixerunt Hippocrates de morb. 2, 17 et Aristoteles cfr. tamen Phryn. ed. Lob. pag. 53 *ποιητικὸν μεσονύκτιον, οὐ πολιτικόν.*

ἐξορκίζω 2, 10, 3. 2, 11, 6. — Polyb. Diodor. Plut. mor. 174 C. Sed *ὁρκίζω* legimus 1, 10, 3, cfr. Phryn. 360 *ὥρκωσε.... μᾶλλον διὰ τοῦ ω λέγε ἢ διὰ τοῦ ι ὥρκισεν.*

κηδεύω 1, 11, 3 funerare, parentare, apud Atticos poetas et *τοὺς κοινούς* Soph. El. 1141. — Polyb. Plut. Fab. 27.

διοικητής 1, 12, 8. 4, 5, 1. Polyb. 27, 17. Plut. Fab. 2. Strabo 17, 840.

μακρόθεν 1, 12, 6. Strabo 3, 409. Ael. h. an. 2, 15. 15, 12. Arr. tact. p. 17.

περιστῆναι τὴν πόλιν dixit 1, 13, 4. Jos. a. Jud. 4, 6, 12. Artem. 4, 59. Luc. Hermot. 86.

δυσοιώνιστος 1, 13, 11. Luc. eun. 6. Dio Cas. 41, 49.

θαυμασμός 1, 14, 2, Plut. Dem. Phal. Dius apud Stob. flor. 65, 16.

προκομίζειν 1, 14, 5 est promere, ut apud Jos. a. J. 1, 16, 2. Luc. d. mer. 4, 5. Xen. Ephes. 3, 5. Long. 3, 9 et 20; vox Herodoti 4, 21.

νυμφαγωγεῖν 1, 1, 13. 2, 1, 2. 2, 11, 3. 3, 2, 12. D. Hal. a. R. 11, 41. Plut. Sol. 20.

ἀπαρτίζω 2, 1, 4. 6, 1, 12 et 5, 6. Polyb. 31, 20, 10. Diod. 1, 11.

φιλογύναιος 1, 12, 7. 7, 6, 7. cf. Moer. ed. Lips. *φιλογύνης, Ἀττικῶς, φιλογύναιος, Ἑλληνικῶς.* Sed illud apparet 2, 1, 5.

ἀμάντευτος active dixit 2, 2, 3. Pollux 5, 63 *κύνας ἀμαντεύτους τῶν ἰχνῶν*, passive Max. Tyr. 11, 6. Beck an. gr. 26, 10.

πολιτεύομαι 2, 2, 8 de alia re, quam de civitate apud posteros saepe dictum video, in prioribus unum locum detexi Aeschin. d. f. leg. pag. 51: *πόλεμον ἐκ πολέμου πολιτευόμενοι.*

προκόπτειν 2, 3, 10. 2, 8, 5. 4, 3, 8 est proficere, augeri. Qui attice loquebantur, dicebant *ἐπιδιδόναι* cf. Luc. sol. 6 *προκόπτει τινὸς εἰπόντος ἐν τοῖς μαθήμασιν, ὁ δὲ Πλάτων, ἔφη, τοῦτο ἐπιδιδόναι καλεῖ.* Epict. dissert. 1, 4, 1, 3, 2, 5. enchir. 48, 2.

σεβάσμιος 2, 4, 9. Orph. hymn. 27, 10 et 78, 1. Luc. tragoed. 213. amor 19. Herod. 5, 6, 14.

διαβόητος 2, 5, 4. Plut. Luc. 6. Lyc. 5. Luc. pseudom. 4. Herod. 4, 4, 19. Aliis praeter illum omnibus locis Chariton *περιβόητος* dixit.

δουλαγωγεῖν 2, 7, 1: *τὸ κάλλος δ.* pulchritudo mancipat, vincit. Diod. 12, 24, sed proprio sensu.

Item figurate dixit *καταστρατηγεῖν* 2, 8, 3 ut Dion. de Isaeo 3; quod proprie Plut. Pomp. 67. Polyb., alii. Sed Attici: *καταπολεμεῖν*, ut et ipse noster 5, 8, 8.

ἀργή formavit ab *ἀργός* 2, 4, 8. Phryn. pg. 104: *ἀργὴ ἡμέρα, ἀργὴ γυνή μὴ λέγε, ἀλλ' ἀργὸς ἡμέρα, ἀργὸς γυνή.* Notum Epimenidium illud: *γαστέρες ἀργαί.*

ὑπερτίθημι 2, 10, 3 et 5, 4, 13 differre, in aliud tempus rejicere. Polyb. Plut. Marc. 12.

στενοχωρεῖν coercere, in arctum compellere 3, 2, 17. 4, 7, 6. 5, 3, 6. Diod. 20, 29. Herod. 7, 9, 18. Luc. Nigr. 13.

ἐκρήγνυμι 1, 5, 6. 3, 3, 7. 5, 4, 8. 8, 8, 2 sapit posteriorum consuetudinem cf. Jos. b. Jud. 1. 10, 7. Luc. calumn. 23: *ἐξέρρηξε τὴν ὀργήν.*

διάπρασις 3, 3, 9. Dion. Hal. a. R. 7, 29. Plut. Sulla 33.

ἀκυβέρνητος 3, 3, 19. Plut. Luc. Jup. trag. 46.

ἀνασκολοπίζειν 3, 4, 18 et 8, 7, 8 posteriores ex Herodoto in suum usum verterunt; Xenophon et Plato *ἀνασταυροῦν* dicunt, quod Chariton 8, 8, 2 et 4, 2, 6.

ἐσχατόγηρως 3, 5, 4. Diod. 15, 76. 20, 72. Poll. 2, 18.

περιφῦναι 3, 5, 4 Homericum verbum Graeculi repetiverunt. Heliod. 7, 7. Xen. Eph. 1, 9.

φορός 3, 6, 1 de vento. Polyb. Strabo. Plut. Marc. 36. Attici: *εὔφορον πνεῦμα*, ut Xen. h. gr. 6, 2, 27.

ὑποβαστάζειν 3, 6, 5. 4, 1, 9. Vox aspernanda. Justin Mart. 317 D. 324 A. 338 A. Galen. op. 14, pg. 777, 12.

εὐπλοεῖν 3, 6, 6. 7, 2, 1 et *εὔπλοια* 8, 3, 14. Illud usurpavit Luc. d. mer. 10, 10. Dio Chrys. 2, pg. 324; hoc praeter Homerum et Atticos poetas Plutarchus, Lucianus, alii noverunt, Attici ignorant, cf. Antiphon. 139, 12. Thuc. 3, 3. Xen. anab. 6, 1, 33.

καταφλέγω 3, 7, 3. Post Homerum et Hesiodum denuo protulerunt Plut. Caes. 58. Philostrat. her. pg. 140, 3.

περισπᾶν 3, 7, 7. Primus dixit idque sensu proprio Xen. Cyr. disc. 3, 1, 13. Sed Polybius quique post eum sunt, figurate.

ποταπός 3, 9, 3, cf. Phryn. pg. 56: *π. διὰ τοῦ τ μὴ εἴπῃς, ἀδόκιμον γάρ· διὰ δὲ τοῦ λέγων ἐπὶ γένους θήσεις, ποδαπός ἐστι, Θηβαῖος ἢ Ἀθηναῖος;* Sed recentiores impune *ποταπός* et pro cujas et pro qualis dixerunt. Philostr. Ap. T. 3, 16. Luc. de paras. 22. D. Hal. a. R. 4, 66.

διοργίζομαι 3, 9, 7. Polyb. 2, 8, 13. Plut. Ages. 6.

σύρω 3, 7, 3. Theocrit 2, 73 et 30, 12. Plut. C. gr. 1. Luc asin. 56. de merc. cond. 3. Eundem Theocritum reduxerunt in voce *φώριος* 4, 3, 5. cf. Th. 27, 66. Ael. n. h. 14, 5. Luc. Hermot. 38.

ἀμερίμνως 3, 9, 12 et 5, 4, 3. Herod. 4, 5, 15. Vituperat Thomas Mag. pg. 124 ed. Jac.: *ἀφροντιστεῖν καὶ ἀφροντίστως ἔχειν οἱ δόκιμοι, οὐκ ἀμεριμνεῖν, οὐδ' ἀμερίμνως ἔχειν.*

ἔκτρωσις 2, 8, 7 et *ἐκτρῶσαι* 2, 10, 6 cf. Phryn. pg. 208.

κατειρωνεύομαι 2, 10, 6 et 6, 5, 8. Plut. Dem. 1. Jos. saepissime.

ἀχλύς 3, 1, 3, vocem epicam et Aeschyleam communicavit cum Plutarcho, Luciano, Philostrato.

αὔξειν 3, 7, 7 pro *αὔξεσθαι*, ut primus Aristoteles an. pr. 1, 7. Polyb. Diod.

ἀχανής 1, 4, 7. 4, 1, 9. 6, 5, 10. Falsa docuit Moeris: *ἀχ.* *Ἀττικῶς*, *ἄφωνος* *Ἑλληνικῶς*; nam *ἄφωνος* saepe apud Platonem occurrit et qui Atticos imitantur; et apud Charitonem ipsum 6, 7, 6. 8, 1, 9; *ἀχανής* autem in recentioribus solum deprehendi, Alciphrone 3, 20, Luciano et ceteris.

ἀλύω 1, 4, 3: otiosum vagari; 4, 2, 8: in quietem oberrare; in utraque significatione verbum omnino poetarum et sequiorum.

βασανιστής 3, 4, 12 et *βασανιστήρια* 4, 2, 10 de tortore et de instrumentis tortoriis. Et *βασανιστήρια*, Atticis ignota, sunt apud Synesium pg. 195 locus, in quo quaestio habetur, itemque apud Pollucem 8, 25. Polyaenum 8, 62. *Βασανιστής* autem Atticis est *ὁ ἐπὶ τῆς βασάνου*, *δημόκοινος δὲ ὁ στρεβλῶν καὶ βασανίζων*, ut Herodianus censet apud Phryn. pg. 474 et ibidem Lob. pg. 476. Ceterum *δήμιος* bis habet 4, 3.

θυμηδία 4, 3, 7. 6, 5, 2. Primus, quod sciam, dixit, Eup. ap. Athen. 7, 286, 6. Plut. Luc.

φιλόκαινος 4, 4, 2 et 4, 7, 6. Philo. Plut. Luc. Icarom. 24.

ἰδιολογία 4, 1, 6. Primus hoc verbo usus est Epicurus apud Diog. L. 10, 86. Verbum *ἰδιολογεῖσθαι* 6, 7, 4 testatur auctor Theagis 121 A. et Philo 1, 197.

μνάομαι petere, affectare 4, 6, 5. 6, 5, 5. Pindarus frgm. 90 ed. Bergk et Herodotus 1, 96 et 205, quem secuti sunt Herodianus 2, 7, 11. Plut. Heliod.

μισοπονηρία 4, 6, 6. Diod. Plut. mor. 46 D.

Ἑλλὰς (*φωνή*) 5, 1, 3. Aeschyl. Agam. 109. Soph. Phil. 223. Herodotus et *οἱ κοινοί*.

γυναιμανές 5, 2, 5. epici dicunt et nonnulli sequiorum, ut Ael. n. hst. 15, 14. Attici et diligentiores *γυναικομανές*.

τὸ βάρβαρον 5, 2, 6 pro *οἱ β.* Dion. Hal. a. R. 1, 12. Herod. 1, 3, 15. 1, 6, 25.

βασίλισσα 5, 3, 2, sed 5, 3, 3: *βασιλίς*, ut in ceteris omnibus locis, praeter paucos quosdam, ubi *βασίλεια*, cf. Phryn. pg. 225: *βασίλισσα οὐδεὶς τῶν ἀρχαίων εἶπεν, ἀλλὰ βασίλεια, ἢ βασιλίς.* Praeivit negligentibus Xen. oec. 9, 15.

συγκρίνειν 5, 3, 7: conferre, comparare et *σύγκρισις* 7, 5, 4, cf. Phryn. pg. 278: *Πλούταρχος ἐπέγραψε σύγγραμμά τι τῶν αὐτοῦ Σύγκρισις Ἀριστοφάνους καὶ Μενάνδρου, καὶ θαυμάζω, πῶς φιλοσοφίας ἐπ' ἄκρον ἀφιγμένος καὶ σαφῶς εἰδώς, ὅτι ποτέ ἐστιν ἡ σύγκρισις, ἐχρήσατο ἀδοκίμῳ φωνῇ. ὁμοίως δὲ καὶ τὸ συγκρίνειν τόνδε τῷδε καὶ συνέκρινεν ἡμάρτηται. Χρὴ οὖν ἀντεξετάζειν καὶ παραβάλλειν λέγειν.*

συγγενίς 5, 3, 7. Poll. 3, 30: *σ., ἐσχάτως βάρβαρον* et Phryn. p. 451.

βραδύνειν 5, 3, 10. Poetas secuti sunt Luc. Lapith 20. Herod. 2, 1, 16. 3, 7, 10.

ἀνέκαθεν 5, 4, 1, inde a majoribus, cf. autem Phryn. pg. 270, *ἀ. φυλακτέον ἐπὶ χρόνου λέγειν . . . ἐπὶ γὰρ τόπου τάττουσιν αὐτὸ Ἀθηναῖοι.*

ἐξελεύθερος 5, 4, 6. Cic. ad Atticum 6, 5, 1. Dio C. 39, 38. Attici *ἀπελεύθερος.*

ὑστερεῖν 5, 4, 12 (non adesse, deficere). Plut. Dioscor. 5, 86 et Nov. Testam.

ἐκδικεῖν 5, 6, 1 primus scripsit Apoll. 2, 1, 2, 6. et *ἐκδικία* 7, 1, 7.

ἄνανδος 5, 8, 3. Odyss. Hesiod. Tragici. Luc. Alciphr. 3, 18.

δυσαπόσπαστος 5, 8, 7: *κάλλος δ.*, a quo quis aegre divellitur, hoc uno loco; sed qui aegre avellitur Posid. ap. Athen. 4, 152 A. et adverbium apud autorem Axiochi pg. 365 B. et Herod. 6, 7, 1.

εὐστάθεια 5, 9, 8. *εὐσταθής* 8, 5, 11 vid. Phryn. 282.

ἀπαρηγόρητος 5, 10, 6. 7, 1, 7. Plut. saepe.

δονεῖν 6, 2, 1. Propr. Hom. Pind.; translate Herodotus, App. civ. 4, 52. Herod. 7, 5, 19.

ἐπιβόησις 6, 2, 2. Plut. Dio Chrys. Sed ἐπιβόημα Thuc. 5, 65.

κελαδεῖν 6, 2, 4. A poetis mutuati sunt Luc. Plut. alii.

τύφω 6, 3, 3 accendo, in eodem numero est.

ἐξαιρέτως 6, 3, 9. Philo. Plut. Herod. 3, 3, 10.

ἄβρωτος 6, 3, 9 active dictum Poll. 6, 39 ex Sophocle citat. Epiphan. physiol. tom. II lib. 2, pg. 203 b.: ἡ φοῖνιξ τὸν βίον διάγει εἰς τὰς κέδρους τοῦ Λιβάνου ἄβρωτος καὶ ἄποτος. Atticis proprium est ἄσιτος vel ἀπόσιτος.

ὑποζώννυμι 6, 4, 2. etiam hoc ex Herodoto posteriorum audacia sibi sumpsit. Plut. Eum. 11.

παραρτᾶν 6, 4, 2 suspendere, succingere. Luc. Herc. 1. Herod. 3, 14, 8.

ἀναζώννυμι 6, 4, 5. Dio Chrys. or. 72, vol. 2, pg. 382.

ἀναζωγραφεῖν 6, 4, 6. Strabo. Arrianus.

εὐαγγέλιον 6, 5, 5. 8, 2, 5, laetus nuntius. Post Aristophanem (equ. 647). Luc. asin. 26. Plat. Artax. 14.

φρενήρης 6, 5, 8, vox Herodotea et poetica. Luc. calumn. 3.

ὑπορρίπτω 6, 9, 5 subjicere. App. Mithr. 38; projicere bestiis Plut. Eum. 17.

βαρυθυμεῖν 6, 6, 2. Diod. 20, 41. Poll. 3, 98.

προμαντεύομαι 6, 6, 3. Eurip. frg. 3. Herod. 3, 125. Luc.

ἀποσιωπᾶν 6, 3, 3. Polyb. Plut. Luc.

μακραίτιος 6, 6, 7. Plin. ep. 2, 2. Luc. fug. 19. Attici μικρολόγος.

παρευδοκιμεῖν 6, 7, 13. Plut. Pomp. 37. Long. 4, 33.

κατήφεια 6, 8, 3. Homerus. — Plut. Philo. App.

διακόπτειν 6, 9, 4 proprie Attice, figurate sequiores: Polyb. Ael. n. h. 3, 37.

ξενοδόχος 7, 1, 5. Poll. 1, 74.

ἀντιλυπεῖν 7, 1, 8. Plut. Dem. 22.

ἄπυστος 7, 2, 4, plane poeticum.

συμβούλιον 7, 3, 1 concilium, collegium. Plut. Luc.

πολεμεῖν cum accusativo 7, 5, 3. Diod. 4, 61. Jos. a. Jud. 6, 6, 5. 7, 5, 2.

κατόρθωμα 1, 1, 4. 7, 5, 6. 8, 1, 17. 8, 2, 10. cf. Phryn. pg. 250. Attice dicitur *ἀνδραγάθημα*.

αὔτανδροι 7, 6, 1. Apoll. Rhod. 3, 582. Polyb. Plut. Luc.

λόγον ἀποδιδόναι 7, 6, 2, rationem reddere. Plut. Tib. Gr. 1. Atticorum cousuetudo postulat λ. *διδόναι*, e. c. Xen. Cyr. d. 1, 4, 3. Oec. 11, 22. h. gr. 1, 1, 28.

μεθοδεύειν 7, 6, 10. Diod. 1, 15 et 81. Diog. L. 8, 83.

περιχέομαι 8, 1, 8. 8, 5, 5, amplector. Luc. de luctu 13. Heliod. 1, 2.

πληροῦν τὰς εὐχάς 8, 1, 9 et similia dicunt praeeunte Aeschylo sept. 477 Herod. 2, 7, 9. Polyaen. 1, 18.

διατρέχειν 8, 1, 11 de fama. Saepissime ita Horodianus.

ἐναβρύνομαι 8, 1, 17. Luc. de salt. 2.

σαλπιστής 8, 2, 6 abjicienda forma teste Phryn. pg. 191.

ἀπόγεια 8, 2, 7. Polyb. Luc. Hermot. 28.

παραφυλακή praesidium 8, 3, 4. Polyb. Diod.

αἰχμαλωσία 8, 3, 6. 8, 4, 3. Diod. 20, 21. Plut.

χαράσσω 8, 4, 4 scribere. Eur. Med. 156. Anthol. Pal. 7, 7, 10. Theocr. 23, 46. Luc. amor. 16. Diod. 3, 44.

παραθήκη 8, 3, 4. 8, 4, 8 et *παρατίθημι* 2, 11, 3. 8, 4, 9 et 8, 8, 6 pro *παρακαταθήκη* et *παρακατατίθημι*, cf. Phryn. pg. 312.

δεσμοφύλαξ 8, 8, 2. Luc. Tox. 30, 31.

φυλλοβολεῖν 3, 8, 5 floribus spargere. Herod. 8, 7, 4. 7, 10, 15.

τὸ δημοτικόν 5, 4, 1 plebs. Diod. exc. vol. pg. 538, 99. Sozom. h. e. 4, 7.

διακονεῖσθαι 8, 8, 5, pro *διακονεῖν*, ut Luc. philops. 35.

ἐπιψηφίζειν suffragari 1, 10, 8. Medium autem 1, 2, 6. Illud non atticum.

θρησκεία 7, 6, 6, vox Herodotea. Plut. Herodian.

ἐγκελεύομαι 8, 7, 3. Attici activum maluerunt.

ἀπροόρατος passivum 3, 3, 16, activum 5, 2, 8. Poll. 1, 179 et scholia.

ἀντισυγκρίνω 6, 1, 6. Nicom. Ger., nescio ubi, sed est pessimum verbum.

Est verbi *κερδαίνειν* usus perquam memorabilis in his duobus locis 2, 10, 3: *κερδανεῖς γὰρ ὠδῖνας ματαίας* et 6, 2, 10: *τάχα γὰρ οὐκ ἂν ἐξῆλθε τοῦ τάφου καταλιποῦσα τὸν νεκρόν. Εἰ δ' οὖν, ἐκείμην, ταύτην μετὰ ταῦτα κερδήσας τὴν πρᾶσιν κ. τ. λ.*

Utroque enim loco *κερδαίνειν* non est lucrari, sed compendifacere. De qua verbi significatione tacet Dorvillius, tacet cum omnibus lexicis ipse Thesaurus l. Gr. Jamque credebam ita ultima demum aetate Graeculos locutos, quum forte incidi in observationes criticas Cobetii, ex quibus sum edoctus hanc labem deberi aetati Macedonicae; ibi enim vol. I, pg. 261 citat ille Philemonis verba: *πᾶς γὰρ πένης ἂν μέγαλα κερδαίνει κακά*; deinde Diog. Laertii VII, 14: *κερδαίνοντα τὸ γοῦν ἕτερον μέρος τῆς ἐνοχλήσεως*. Effugit autem illi verbi usus vel studiosissimos onomatologorum et lexicorum compositores, quod, credo, notae alicujus vocis sensum mutatum sentire multo accuratioris lectionis est, quam nova aliqua vocabula prioribus incognita inter legendum hinc illinc percipere et notare. Loci, quos praeterea detegere potui, hi sunt: Him. orat. 2, 14 et 26 et eclog. 3, 8. Heliod. 4, 10. 5, 6. 8, 8. Theodor. Prodr. 2, 294.

Venio nunc ad id genus vocum, quae quarto demum saeculo inde ab aetate Constantini in usum acceptae esse videntur, sive leguntur apud scriptores illius temporis clarissimos, Libanium, Julianum, Synesium, sive illas ecclesiasticorum modo et Byzantinorum auctoritas reprobanda testatur. In quarum numero illae quoque non omittendae sunt, quae *ἅπαξ λεγόμεναι* apud unum Charitonem apparent.

ὑποδοχεύς 3, 2, 8. Hanc vocem primum dictam video apud homines quarti saeculi exeuntis, Amonium et Gregorium Nazianzenum. Vd. Am. v. *ἑστιάτωρ* et Greg. op. tom. 1, pg. 382 B.: *ὑείων κρεῶν ὑποδοχέα γενέσθαι.* Continuaverunt usum hagiographi aliique infimae aetatis.

ἀπασπάζομαι 3, 5, 8 valere jubeo. Thesaurum mancum me inspicere non posse doleo: exstat apud Himerium eclog. 11: *ᾠδῇ καὶ μέλει τὸν χορὸν τὸν ἑαυτῶν ἀπησπάσαντο.*

ἀφιππεύομαι 3, 7, 2. Activum vere graecum est; medium ne *τοῖς κοινοῖς* quidem usitatum, quanquam Heliod. 4, 18 *ἀφιππεύσαντο* legitur, qui idem lib. 7 fin. multo melius *ἀφιππάσαντο* dixit: et hoc ne ad priorem quoque locum vindicarem, monuit me 10, 3: *τὰ ἐπισημότερα τῆς πόλεως καθιππεύοντο*, quod deponens lexicis et ipsum ignotum est.

προφέρειν 2, 9, 2 in lucem edere; de partu apud antiquiores nusquam dictum reperio; contra Greg. Naz. alicubi sic dixit: *εἰς φῶς προενέγκωμεν, ὥσπερ τινὰ τόκον.*

λαμπρειμονεῖν, quod legitur 3, 1, 3, occurrit apud Eustathium op. p. 187, 25 et 324, 19 et Suidam, haud dubie non principes hujus verbi testes.

γραΐς 6, 1, 11. Vox novitia videtur Dindorfio in thesauro. Primus est auctor Chrysostomus citatus in lexico Baroccíano: *γυναικῶν τινων γραΐδων.* Noverunt etiam Eustathius 6 d. pg. 1410, 4: *γραΐς, ὅθεν τὸ γραΐδιον* et Zonaras 4, 53: *ἀπὸ τοῦ γραία γέγονε γραΐς, γραΐδος.* Adde locum Theod. Pr. 6, 145.

Commode huic accedet *ἀνταμοιβή* 5, 2, 4, et ipsum fortasse non minus barbarum, quam illud. Exempla praebent Chrysost. ep. I. ad Cor. *καὶ οὐδὲν ἐπὶ μισθῷ πράττοντες οὐδὲ ἀντιδόσει καὶ ἀνταμοιβῇ*; Nicetas Eug. 7, 130: *εἰς ἀνταμοιβὴν τῶν φιλοφρονημάτων.* Theod. Prodr. 8, 517. Tzetz. ad Hesiod. op. 125 et histor. 3, 881.

Aeque corruptam Graecitatem indicat verbum *συντάσσομαι*, quod Chariton 2, 1, 4. 8, 4, 1 et 11 „valedicere" esse voluit; quamquam si omnibus ex numeris constaret auctorem Soloecistae Lucianum esse, haec pestis anterioribus saeculis esset remittenda. Ibi enim § 5 hujus stribliginis cum aliis multis mentio est facta; sed quod neque de auctore libelli satis constat, et in illo dictum modo non scriptum vituperatur, vocibus infimi ordinis illud ascripsi. Ita dixit prae ceteris nominandus Palladas Anthol. Pal. 9, 171, 3: *λόγοι, συντάσσομαι ὑμῖν*, quem saeculi V. initio vixisse ex eo cognoscitur, quod quodam carmine Hypatiam trucidatam

se vidisse confirmat. Et Himerii, hominis ejusdem fere aetatis, est *συντακτική μελέτη* eclog. 11. Proximorum saeculorum exempla sunt plurima, sed quae omitti liceat.

Postquam Lucianus et alii *διακονεῖσθαι* dicere coeperunt, jam qui illos secuti sunt, antiquae munditiei quasi data opera negligentes, *ἐξυπηρετεῖσθαι* sibi sumpsisse, quis est, qui miratur? Hoc praeter nostrum 7, 1, 4 usurparunt Basilius, Johannes Damascenus, Eustathius op. 84, 48. 320, 63, scholiasta Soph. Phil. 287.

Omnino Chariton medium audacius adhibuit, ut *ἀντιμνηστεύομαι* 8, 7, 6 (cf. *προμνηστεύομαι* Alciphr. 1, 37. Dio Cass. 48, 37. Theod. Pr. 3, 441), quod aeque rarum est, atque activum *ἀντιμνηστεύω* inventum in Diod. Sic. exc. 550, 97.

Pessime dixit 2, 7, 3 *προηνεχυριασμένη ταῖς εὐεργεσίας ὑπ' αὐτῆς*; nam *ἐνεχυριάζειν*, vel quod praestat, *ἐνεχυράζειν*, est: pigneror, pignori capio et hallucinatur Dorvillius docens, qui praestat beneficium, *ἐνεχυριάζειν*, qui accipit, *ἐνεχυριάζεσθαι* dici. Neque magis probandus scholiastes Homeri, qui ad Il. 9, 45 scripsit: *προενεχυριάζειν τὴν γνώμην*, pignori ante dare, nam *ἐνεχυριάζειν*, pignori dare, extrema est barbaries.

Denique sunt *ἅπαξ λεγόμενα* haec duo *ἐργοστόλος* 4, 2, 2, et *προεπιδημεῖν* 3, 4, 1 et 5, 2, 1. Et *ἐργοστόλον* Chariton eum esse voluit, quem Attici *ἐπιστάτην ἔργων* appellabant, e. gr. Xen. Cyr. d. 8, 1, 9; posteriores Graeci autem *δεσμοφύλακα*; sed illa vox omnino aspernanda, quaeque ipsis *ἐργοστόλοις* conveniebat. Alterum multo facilius ferri potest; talia enim suo quisque arbitrio pro tempore componebat; cujusmodi sunt *προαιδέομαι* Her. 1, 61. 3, 140, *προαναβάλλομαι* Ar. frg. 1297 et Isocr. p. 240 d., *προαναβοᾶν* Demetr. de el. 15.

Quibus vocibus percensitis hoc mihi effecisse videor, ut demonstrarem Charitonem ante alterum dimidium saeculi quarti non vixisse. Immo qui usum horum trium *γραΐς*, *ἐξυπηρετεῖσθαι* et *ἀνταμοιβή* diligentius perpenderit, in recentiorem etiam aetatem promovebit, quintum fortasse, vel sextum saeculum. Namque quominus ego ultimis illis et corruptissimis Graecitatis testibus Charitonem ascribam, multa sunt, quae me impediant; ut

enim taceam de quadam subtilitate atque sana simplicitate dictionis et narrationis, quae eum ab Eustathio, tumido et inepto homine longe semovent, permulta apud eum non vidi, quae in illo quique eum sequuntur, offendunt.

Ut exempla nonnulla afferam, nusquam Chariton infinitivo verbum *ἰσχύειν* addidit pro *δύνασθαι*, nusquam mendose *εἰς* admisit, ubi voculae *ἐν* suus locus erat; fugit multa cum *κατα*, *ἀντι* etc. insolentius composita, qualia sunt *ἀνταποκρίνεσθαι*, *ἀντυποφθάνω*, *ἀντανατρέπω* (quod ex Theodoro Prodromo 8, 417 Thesauro addendum, cum hisce aliis *γλωττοδέσμη* 3, 493. *χόλαπτος* 4, 98. *ἀρτίσωμος* 8, 479. *τιγρολέων* Manass. am. 2, 64). *καταγλωτταλγεῖν*, *κατακεραυνοβολεῖν* et alia. Neque novit *μαθεῖν ζητεῖν*, quod illos ultimos saepe loco verbi *ἐρωτᾶν* dixisse video, e. c. Nic. Eug. 7, 26 et 27: *μαθεῖν ἐπεὶ ζητεῖς με, μῆτερ, τὴν ξένην τὰ κατ' ἐμαυτὴν καὶ τὰ τοῦ Χαρικλέους*; neque unquam *φθάνειν* pro *ἔρχεσθαι* usurpavit, neque *φύντας* appellat *τοὺς γονεῖς*, quod ne Heliodorus quidem sprevit, nedum Xenophon Ephesius, aut Theodorus 9, 264 et 313.

II.

Observationes grammaticae.

Quod modo de vocabulorum ratione dixi, scilicet, nihil in Charitonis libro inesse ejusmodi, ut necessario medio aevo ascribatur, idem fere, ni fallor, etiam de grammatica valet; sive enim aequalitatem et inaequalitatem formarum, sive etymologicam partem respexeris, sive syntacticam, omnia ita comparata sunt, ut testimoniis primorum quatuor saeculorum comprobentur et stabiliantur. Neque tamen mihi contigit, ut in hoc genere quicquam discernerem ejusmodi, quod aetatem illius manifesto indicaret; sed quum praeter ea, quae in superioribus de delectu vocabulorum docui, etiam grammatica non indigna videatur aliqua observatione, hoc loco nonnulla, quae aut posterioris Graecitatis essent, aut ab ipso illo mendose novata, aut ad analogiam pertinerent, contuli.

Et primum quod ad formarum analogiam attinet, nunquam non γινώσκω, γίγομαι cum plerisque posteriorum dixit; contra autem Atticorum usum in duobus his κλάειν et κάειν adeo est secutus, ut si quo loco forma vulgaris exstabat, e. c. 1, 1, 14 Hercherus recte emendaverit.

Haud item sibi constantem videas in vocabulis per σσ formatis, quae Attici in ττ pronuntiare malebant. Etsi enim sexcenties θάλασσα dixit, ut etiam 8, 2, 10 τῇ θαλάσσῃ legendum sit, in aliis utrumque admisit, ita tamen, ut veteriorem morem praeposuisse videatur. Nam πράττειν quaeque ab eo propagata sunt, habes, quum aliis permultis locis, tum 8, 1, 2. 8, 1, 13. 8, 2, 7. 8, 3, 9; ἀντιταττόμενον 6, 4, 5; ἀναπλάττων 6, 4, 2. φυλάττειν vel παραφυλάττειν 6, 7, 2. 7, 3, 1. 7, 6, 2. σπαράττειν 7, 6, 7. ἧττα 7, 6, 2. ἀήττητος 2, 8, 2. At vulgarem formam ille sibi sumpsit in hisce: πράσσειν 7, 6, 1. συντάσσεσθαι 8, 4, 1. προςτάσσω 6, 4, 8. σπαράσσειν 2, 7, 2.

νεώς dixit 3, 2, 12. 3, 6, 3, eratque ναός ante Hercherum 3, 7, 7.

θεός, dea, sexies scripsit 3, 2, 12. 3, 6, 3. bis. 3, 6, 4. 7, 5, 2. 8, 1, 5. θεά semel vidi 3, 2, 15, quod in illud corrigendum censeo.

In accusativo pluralis tertiae a consuetudine posteriorum nunquam discessit 1, 1, 9: τοσούτους ἔχων μνηστῆρας πλουσίους καὶ βασιλεῖς. 2, 1, 9: ἐμπόρους ἐξήταζε καὶ πορθμεῖς. 2, 9, 5. 3, 5, 6. 4, 3, 2: τοὺς γονεῖς.

Idem postquam aliis locis emendate αἱ νῆες declinavit 8, 5, 2 et 3 negligenter αἱ ναῦς finxit, de quo vide Phryn. pg. 170.

In comparativis tertiae utramque formam et contractam et non contractam admisit: hanc enim elatam video 5, 8, 7: οἱ δὲ πλείονες. 7, 5, 14: πλείονας δὲ ἐζώγρησε. 8, 6, 5: πλείονας εἶχον αἰτίας. 1, 5, 5: χείρονα δέδρακα. Illa autem breviore usus est 8, 2, 14: καὶ γὰρ γυναῖκας καὶ τέκνα ἔχουσιν οἱ πλείους. 8, 3, 13: ἐγὼ δὲ πλείω τούτων καταλέλοιπα. 8, 6, 4: ὥστε αἱ μὲν πλείους μεινάτωσαν. In quo omnino Atticos sectatus est, nam ut πλείονες ubique dixit, ita πλέον

pg. 15, lin. 23. 22, 27. 31, 22. 56, 9, 21. 81, 11; quare etiam 62, 21 πλέον cum Herchero restitue.

In verbis autem attice scribere maximam partem aspernatus est: nam et passivi alteram personam semper in η finivit, neque ejusdem personae exitum in θα novit: οἶδας 1, 12, 3. 2, 4, 7. 3, 4, 8. 5, 2, 5. ᾔδεις 1, 12, 3. ἦς 6, 2, 6 et 9.

Huc etiam pertinet, quod ad vulgarem normam δύνασαι, non δύνῃ flexit 2, 10, 5. 5, 10, 4 et 8. 6, 3, 8 et καθῆσο 1, 12, 5. 2, 11, 4. 3, 4, 4. 6, 4, 2 et 3; uno excepto loco pg. 11, lin. 3, qui illis adaequandus est.

In imperativo suae aetatis consuetudinem et dicendi genus expressit ita, ut ne semel quidem breviorem formam extulerit, quam magis Atticam esse volunt grammatici.

Atticum futurum servat in verbis per ιζω finitis 1, 2, 5: ἐφοπλιῶ et 2, 6, 3: ὑβριῶ; in aliis vero plerumque pejorem formam expressam video; quam editor Lipsiensis haud scio an non jure, neque omnibus locis contractam reddidit; namque ante illum erat ἀπολέσω 18, 28. ἀπολέσεις 36, 11 et 98, 17, quae mutavit nisus loco 65, 30: ἀπολεῖ; sed omisit 25, 24: καλέσω. 45, 6: ἀπολέσω. 34, 23: ἐκκαλέσεται.

Verborum per μι formatorum exactam flexionem instituit 3, 2, 5: ὀμνύναι et 3, 2, 11: δεικνύναι; ἑλληνικῶς, ut qui posterior, locutus est 6, 5, 5: συνιστᾶν. 1, 10, 8: ἀπολλύεις. 1, 12, 10: δεικνύεις. 3, 2, 17: ὑπεστρώννυον aliisque locis.

In temporibus verborum formandis multa tulit, quibus qui elegantius scribebant, abstinuerunt. Talia sunt: ἐλεύσεσθαι 8, 8, 11. ἀπελεύσεσθαι 1, 3, 1. 8, 5, 15. ἐξελεύσεσθαι 6, 9, 8. cf. Phryn. pg. 36.

πλῆξαι 1, 15, 7. 3, 9, 2. 5, 1, 1. 8, 7, 6. Activum ab Atticis respui excepto perfecto notissimum est, cujus rei luculenta testimonia exstant apud Soph. Antig. 171. Xen. anab 6, 1. cf. Cob. var. lect. pg. 330.

συγήσει 1, 10, 8. σιγήσειν ostendunt apud Dionem Chrys. or. 37, II. p. 123 R.; sed ego illum sic scripsisse negarim; facile autem concedo Tzetzae aliisque ejusdem farinae, vd. Cram. an. 3, pg. 332, 20: τὰ τέτταρα δ' ὡς ἔχουσιν, σιγήσω, σιωπήσω.

ζήσεις recte exhibuit 6, 1, 4; medium apparet 7, 1, 4.

διαζευχθῆναι 1, 11, 3. 1, 14, 9. 7, 1, 6. 8, 3, 14, quem unum aoristum novit cum posterioribus. cf. Theod. Pr. 6, 469. 9, 39. 41, 222.

κερδήσας 6, 2, 10; sed Atticum est *κερδάνας*.

καθεσθείς 3, 2, 1. 3, 10, 4. *συγκαθεσθείς* 1, 1, 11. *παρακαθεσθείς* 3, 3, 17. *ἐκαθέσθη* 5, 4, 5. cf. Phryn. pg. 269.

κατεσχέθην 3, 2, 14. Graeculis usitatum, vd. Elmsl. ad Eurip. Her. 634; saepissime occurrit apud iambographos Byzantinos. — Ceterum neque in Charitone, neque in ullo posteriorum vel semel *σχήσω* deprehendi; *ἕξω* sexcenties.

καταπλεύσεις futurum 2, 11, 2, ut or. Sibyll. 1, 193: *πλεύσει γῆ, πλεύσουσιν ὄρη, πλεύσει δὲ καὶ αἰθήρ.*

γαμηθῆναι, nunquam *γήμασθαι*, 3, 1, 4. 3, 2, 16. 4, 3, 8. 5, 1, 1 et 5. 6, 4, 7. 8, 7, 11 et quod ex illo nascitur *γαμηθήσεσθαι* 5, 9, 3. cf. Poll. 3, 45.

ὤθησεν 2, 7, 2. Neque futurum, neque aoristus ferri possunt; exempla dabit paraphr. Il. 11, 143. 320. 13, 138. 193. Emendatius locutus est *ἐξέωσε* 3, 3, 10.

ἀναπτῆναι 8, 2, 11, dicunt poetae omne genus, sed Atticorum prosa oratio fastidit.

ἑαυτοῦ et *ἑαυτῶν* pro *ἐμαυτοῦ* et *σεαυτοῦ* etc. usurpavit 7, 1, 11: *χρησώμεθα ἀλλοτρίᾳ δυνάμει πρὸς τὴν ὑπὲρ ἑαυτῶν ἄμυναν.* 8, 2, 4: *φέροντες οὖν ἑαυτοὺς δίδομέν σοι φίλους πιστούς.* Bis recentissimus editor, nescio cur, mutavit 6, 3, 8 et 6, 5, 2.

Ultro apparet mera stribligo 5, 7, 10: *μεταξὺ δὲ ἀμφοτέρων, ἐμοῦ τε καὶ Διονυσίου, στὰς εἶπον βασιλεῖ, τίς ἐστιν ἐξ ἡμῶν μοιχός;* dicendum erat *πότερος* vel *ὁπότερος.*

Subinde etiam in pronomine *ὅστις* erravit, ut 7, 9 et 49, 14: *μέχρι τῆς οἰκίας, ἥτις ἦν κ. τ. λ.*

Particula *ἵνα* saepe ei est: ita ut: e. c. 1, 10, 7. 2, 8, 6. 2, 10, 4. 3, 2, 7. 5, 7, 3. 5, 10, 1. 6, 5, 9. 8, 1, 2 et vel his omnibus deterior est locus 6, 3, 7: *μή σύγε τοιοῦτο μηδὲν εἴπῃς, ἵνα γυναῖκα ἀλλοτρίαν διαφθείρω.* Sed ante multos jam annos Epictetus eidem vitio implicatus est diss. 2,

1, 1: *εἰ ἀληθές ἐστι τόδε, ἵν' ᾖ ἅμα μὲν εὐλαβῶς, ἅμα δὲ θαρρούντως πάντα ποιεῖν.* Eadem pestis etiam grassatur apud Plutarchum vol. 6, pg. 517 ed. Wytt.

Falso, ut illis temporibus fieri solebat, particulam *ἄν* suppressit 3, 9, 8: *ἀλλὰ περίμεινον, ἕως οὗ πάντα ἀκούσῃς.* 5, 7, 1: *μή καταγνῷς μου, πρὶν ἀκούσῃς τῶν λόγων ἑκατέρωθεν*; aliis locis justam grammaticae rationem secutus e. c. 8, 6, 4: *ἕως ἂν γνῶμεν.*

Contra autem illa vocula in duabus formulis abundat apud sequiores frequentatis, dico *κἄν*, quale est 3, 1, 1: *ἵνα αὐτῷ προσέλθῃ κἂν νεκρῷ* et *ὡς ἄν* participio alicui plerumque praefixum, ut 2, 8, 6: *ὡς ἂν ἤδη πεῖραν ἔχουσα.* 7, 6, 5: *ὡς ἂν Ἑλληνίς.* 8, 3, 12. 8, 7, 3 et 4.

Participiis eo sensu elatis, quem appellant concessivum, nonnunquam addidit *καίπερ*, ut 3, 2, 4; multo autem saepius *καίτοι* ex consuetudine novorum, cf. Held ad Plut. Timol. pg. 334. Ecce nonnullos locos: 1, 3, 1. 1, 13, 10. 2. 1, 1. 2, 4, 4.

Constat Graecos, quum primis post Christum natum saeculis lingua in dies magis depravari coepta esset, priscorum mundum sermonem sincerumque dicendi genus ita adulteravisse, ut multis modis *μή* ibi exhiberent, ubi particulae *οὐ* locus debebatur. Cujus vitii exempla apud Charitonem quoque haud pauca exstant; nam ut de participiis taceam non cum significatione conditionis vel concessionis elatis, qualia sunt 1, 5, 4. 2, 4, 6. 4, 3, 2, pauca quaedam ex maxima multitudine temere deprompta, etiam magis signa cadentis Graecitatis ex eo agnosces, quod cum ceteris aequalibus nunquam non fere *ὅτι μή* dictitavit, vd. 2, 10, 8: *τοῦ ἐπήνεσεν ἡ Πλαγγὼν, ὅτι μὴ προπετῶς αἱρεῖται τὸ ἕτερον.* 8, 5, 8: *ὅτι Καλλιρρόη μηκέτι δύναιτο θεάσασθαι.* Uno tamen et altero loco *ὅτι οὐ* vidi: pg. 114, 17. 115, 4 et 23. — Ex aliis Himerii constantem fere tantum non omnibus locis usum testantur haec specimina or. 2, 13 et 14. 3, 7. 10, 4. 14, 9. 24, 5; sed *ὅτι οὐ* 5, 7.

Magis etiam ille orationem vitiavit, quum eandem voculam exhibuit in enuntiatione primaria 4, 3, 8: *μὴ γὰρ τὰ δεσμὰ καὶ τὸν σταυρὸν ἐλεῶ σου.* 4, 1, 12: *μὴ γὰρ μεγάλα μόνον, ἀλλὰ καὶ παράδοξα δυστυχοῦμεν.* Neque leniore

vituperio dignum videtur 5, 1, 6: *βαρβάρων ἐγκλείομαι μυχοῖς ἡ νησιῶτις, ὅπου μηκέτι θάλασσα.* Est Longi locus haud absimilis 2, 9, 1: *ἐφίλησαν ἀλλήλους ἰδόντες καὶ (ὃ μήπω πρότερον ἐποίησαν) περιέβαλλον.*

In universum haec lex apud posteriores valuisse videtur, ne particulis *εἶτα* et *ἔπειτα* subjungerent *δέ*; quod ne illi priores quidem et prae ceteris laudabiles saepius addiderunt, quam suppresserunt. Neque Aelianum aliter dictitasse testis est Hercherus in praefatione ed. Didot; neque ego apud ullum illorum, quem perscrutatus sum, hanc normam non observatam vidi, nisi duos apud Tatium locos exceperis 2, 1, 1 et 4, 10, 3; quos ad ceterorum similitudinem conformare in tanta praesertim multitudine convenientium vix me quisquam vetuerit Charitonis autem ea sola specimina exhibeo, quibus eum vel post *πρῶτον μέν δέ* omisisse palam fit: 5, 1, 7. 5, 2, 2. 5, 3, 3.

Haec ejusdem menda duo corrigere in transcursu volo, prius 4, 3, 12: *ἄρτι μὲν οὖν, ἔφη, νὺξ γάρ ἐστιν, ἀπίωμεν*; quod illis temporibus latius grassatum esse Phrynichi praeceptum monstrat pg. 18: *ἄρτι ἥξω μηδέποτε εἴπῃς ἐπὶ μέλλοντος, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ ἐνεστῶτος καὶ παρῳχημένου· ἄρτι ἥκω καὶ ἄρτι ἀφικόμην.* Alterum 4, 1, 2: *ὁ δὲ Διονύσιος ἐλυπεῖτο μὲν.... εἰς δὲ τὸν ἴδιον ἔρωτα λυσιτελεῖν ὑπελάμβανεν* (sic enim lenissima mutatione veram lectionem revocabis). Namque ut dicere *ὠφελεῖν εἴς τινα* nihil offensionis habet, ita *λυσιτελεῖν εἴς τινα* mihi quidem omnium perversissimum videtur.

Formas *μέχρι* et *μέχρις* alternat hiatus devitandi causa omninoque Chariton quando hiatum tulerit, quandoque non, lectorem docebit Hercheri observatio exhibita in Jahnii annalibus. (1858, 3. Heft.)

III.

Observationes criticae.

Initium faciam non emendando, sed suadendo: quod enim Hercherus 1, 1, 2 per se ipsum non improbabile conjectavit

ἀλλὰ καὶ ἐξ Ἰταλίας καὶ Ἠπείρου καὶ νήσων τῶν ἐν Ἠπείρῳ, id communiam Philostrati verbis v. soph. 1, 25, 2: *νεότητος αὐτῇ ἐπιρρεούσης ἐξ ἠπείρων τε καὶ νήσων.* Herod. 1, 71: *ἀπιγμένοι ἐς τὴν ἤπειρον ἐκ τῶν νήσων* et 2, 10. Thuc. 1, 5. Aristot. de mundo 3. Xen. h. gr. 6, 1, 4, ceterum non immemor, quid discriminis intersit inter *Ἤπειρος* et *ἤπειρος.*

Revocandum esse 1, 1, 16 *πάντες δὲ Καλλιρρόην μὲν ἐθαύμαζον, Χαιρέαν δὲ ἐμακάριζον* mutatis nominum sedibus ego quoque vel ante Hercherum senseram ex his 4, 7, 6: *ἐδόκει δὲ τοῖς πᾶσι τῆς φήμης ἡ γυνὴ κρείττων. Μακαριζόμενος δὲ Διονύσιος ἐλυπεῖτο* et 5, 3, 1: *γύναιον Ἑλληνικὸν.... ὃ καὶ πάλαι μὲν πάντες ἐθαύμαζον ἐπὶ τῷ κάλλει.*

In descriptione pompae funebris, quae est inde a 1, 6, 3: *προῄεσαν δὲ τῆς κλίνης πρῶτοι μὲν.... εἶτα ἡ βουλὴ καὶ ἐν μέσῳ τῷ δήμῳ πάντες Ἑρμοκράτην δορυφοροῦντες·* tantum abest, ut Herchero ab omni parte assentiar, ut illum crediderim etiam mali aliquid illi loco intulisse articulo post *πάντες* inserto; quanquam quod idem ille modo ante *σημεῖα* adjecit, bene se habet. Namque *οἱ Ἑρμοκράτην δορυφοροῦντες* aut Hermocratis satellites sunt, tyranno aptiores, quam Hermocrati, aut ii, qui illum tum honoris causa prosequebantur. At qui qualesve isti fuerunt? Nimirum senatores et archontes, civitatis enim caput Hermocrates. Ut brevi defungar, unam voculam *καί* expunge et senties omnia esse sana. *μέσος ὁ δῆμος* est ipse senatorum grex et *καί* adscriptum est a sciolo quodam, qui non satis assequebatur, quid esset *ἡ βουλὴ Ἑρμοκράτην δορυφοροῦντες.*

Sunt verba 1, 8, 3 de Callirrhoe in monimento sepulcri reviviscentis *τότ' οὖν ἀνεμνήσθη τοῦ λακτίσματος καὶ τοῦ δι' ἐκεῖνο πτώματος μόλις τε τὸν ἐκ τῆς ἀγωνίας ἐνόησε τάφον.* Quae in fine tam turpe habent mendacium, ut castigatione dignissima sint; si quid enim video, non poterat femina sentire mortem ex angore natam, quod illi eam conjux calcando obtulerat. Ne nimius sim in re clarissima, legendum censeo *μόλις τε νυκτὸς ἀωρίᾳ ἐνόησε τὸν τάφον.*

Leguntur haec 1, 10, 6—7: *τάχα δέ τις ἐρεῖ λυσιτελέστερον εἶναι πωλῆσαι τὴν γυναῖκα· τιμὴν γὰρ εὑρήσειν*

διὰ τὸ κάλλος. Ἔχει δὲ καὶ τοῦτο κίνδυνον. Ὁ μὲν γὰρ χρυσὸς οὐκ ἔχει φωνὴν οὐδὲ ὁ ἄργυρος ἐρεῖ πόθεν αὐτὸν εἰλήφαμεν. Ἔξεστιν ἐπὶ τούτοις πλάσασθαι καὶ διήγημα. Φορτίον δὲ ἔχον ὀφθαλμούς τε καὶ ὦτα καὶ γλῶσσαν τίς ἂν ἀποκρύψαι δύναιτο; καὶ γὰρ οὐδὲ ἀνθρώπινον τὸ κάλλος, ἵνα λάθωμεν. Ὅτε δούλην ἐροῦμεν, τίς αὐτὴν ἰδὼν τούτῳ πιστεύσει;

In his quoque verbis aliquid pravitatis deprehendisse mihi videor, ita tamen, ut mihi non contigerit locum omni mendae vestigio expurgare. Corruptio incipit a verbis *τίς ἂν ἀποκρύψαι δύναιτο*; cum enim pirata id agat, ut ostendat, quare periculosum sit illam venire (cf. § 6: *ἔχει δὲ καὶ τοῦτο κίνδυνον*), dicendum erat post *γλῶσσαν* aliquid, quod proxime accederet ad similitudinem verborum: *ἐρεῖ πόθεν αὐτὸν εἰλήφαμεν.* Quare nonnulla post *γλῶσσαν* excidisse utique statuendum est. Iterum sententiae progressus interrumpitur in sequentibus, in quibus quid *ἵνα λάθωμεν* sibi velit, mihi quidem parum liquet; fortasse quum olim verbis *τίς ἂν ἀ. δ.* subscripta essent, postea loco suo dejecta sunt. Ut autem iis ejectis, ea quae utrimque stant, inter sese conglitinemus, suadet locus 2, 1, 5: *ἀδύνατον εἶπε καλὸν εἶναι σῶμα μὴ πεφυκὸς ἐλεύθερον.* Nunc totum locum talem exhibebo, qualem scriptorem dedisse mihi verisimile est, Latinis Graecis admistis: *φορτίον δὲ ἔχον ὀφθαλμούς τε καὶ ὦτα καὶ γλῶσσαν* omnia prodet et indicabit. Etiamsi autem illam occultare conemur, *τίς ἂν ἀποκρύψαι δύναιτο; καὶ γὰρ οὐδὲ ἀνθρώπινον τ. κ., ὥστε εἰ δούλην ἐροῦμεν, τίς αὐτὴν ἰδὼν τούτῳ πιστεύσει;*

Malim 1, 11, 5 aoristum bis legere *ἔνθα τὴν Καλλιρρόην προαγαγόντες φαιδρύνασθαι* (scribitur *φαιδρύνεσθαι*) *καὶ ἀναπαύσασθαι κατὰ μικρὸν ἀπὸ τῆς θαλάσσης ἠξίωσαν*, quod quum per se probabile est, tum altero aoristo commendatur. Ibidem § 7 restitue *αὐτόθι εὑρήσειν* cf. pg. 19, 24 et 86, 30.

Recte editor in pristinam sanitatem restituere destitit verba corruptissima 2, 2, 2 *εἰσελθοῦσαν δὲ ἤλειψάν τε καὶ ἀπέσμηξαν ἐπιμελῶς καὶ μᾶλλον ἀποδυσαμένης κατεπλάγησαν· ὥστε ἐνδεδυμένης αὐτῆς θαυμάζουσαι τὸ πρόσωπον θεῖον πρόσωπον ἔδοξαν ἰδοῦσαι*; meque habeat socium detrectationis.

Nam quae Parisinus editor hic excogitavit, iis malum etiam ingravescit; neque quidquam prodest medela, quam ante multos annos Abreschius huic loco admovit post *ἰδοῦσαι* supplens: *οὕτω ἀποδυσαμένης ὅλον πρόσωπον*, derivatam illam ex Aristenaeti 1, 1: *ἐνδεδυμένη μὲν εὐπροσωποτάτη ἐστίν, ἐκδῦσα δὲ ὅλον πρόσωπον φαίνεται.* Tamen non sine omni fructu hunc ille locum huc traxisse videtur. Si quid enim video, manifesto demonstrat Charitonea verba sanari non posse, nisi mutatione adhibita colorum duorum *καὶ μᾶλλον ἀποδυσαμένης κατεπλάγησαν* et *ἐνδεδυμένης αὐτῆς θαυμάζουσαι τὸ πρόσωπον*; quae quum librarii negligentia sedes inter sese mutassent, fortasse etiam nonnulla supposita sunt. Utut autem hoc est, res ita comparata est, ut non liceat proferre lectionem aliquam certam et ab omni parte consummatam potius, quam conjectura adumbratam: *ἀπέσμηξαν ἐπιμελῶς καὶ ἐνδεδυμένης αὐτῆς θαυμάζουσαι τὸ πρόσωπον καὶ μᾶλλον ἀποδυσαμένης κατεπλάγησαν ὅλον τὸ σῶμα ἰδοῦσαι.*

Offendo etiam in extremis verbis ejusdem capitis *ὥστε θαυμάζειν τοὺς ἀγροίκους καθ' ἡμέραν εὐμορφοτέρας αὐτῆς βλεπομένης.* Erat fortasse *φαινομένης*, aut *γιγνομένης.*

Τὸν μὲν οὖν πότον παρήγαγεν ἐπὶ πλεῖστον pg. 32, l. 17 nos legere cogit usus, vocabularum tyrannus: nunquam enim ita *προάγειν* dicere antiquis in more fuit; *παράγειν* satis saepe, cf. Plut. Fab. Max 5: *οὕτω δὲ παραγαγὼν τὸν χρόνον ὑπὸ πάντων κατεφρονεῖτο.* Diod. 11, 3 et 18, 65.

Pag. 33, lin. 10 legendum censeo *μήτι πάλιν σε λύπη κατείληφε τῆς τεθνηκυίας γυναικός*; cf. pg. 28, lin. 4 *τί δ' ὅμως συμβέβηκε; μή τι ἡ νεώνητος ἀποδέδρακεν*; et pg. 150, 6 *πόθεν τριήρεις προσπλέουσιν; μή τι Ἀττικαί;*

Hercherus quum verba pg. 33, 16: *μῦθόν μοι διηγῇ ἔμπορον πτηνὸν, ὃν οὐκ οἶδας οὐδ' ὁπόθεν ἦλθεν, οὐδ' ὅποι πάλιν ἀπῆλθεν* in Jahnii annalibus ita depravasset, ut legeret: *μ. μ. δ. ἐμπόρων πτηνῶν, οὓς οὐκ οἶδας, οὐθ' ὁπόθεν ἦλθον, οὔθ' ὅποι πάλιν ἀπῆλθον*; statim vehementer improbavi, sed nunc eundem in sua editione in tempore recantavisse video, memorem fortasse loci simillimi 3, 9, 11: *καὶ Φωκᾶς διηγεῖτο*

τὸν ναύτην, *τὸν μηνύσαντα κ. τ. λ.*, praeterquam quod recte servavit illud *οὐϑ'*...*οὐϑ'*.

Pg. 36, l. 11 ante *σῶμα ἰᾶσαι* videtur addendum esse *ἕν*, quod etiam Abreschius divinavit, diluc. Thuc. pg. 344, monens *σῶμα* hic positum esse pro *ἓν σῶμα*.

φίλην ἐμὴν legamus, non *φ. ἡμῖν* 37, 24, quam maxime suadent ea, quae subsequuntur *ἐπαίνει με παρ' αὐτῇ πολλάκις*, et omnino Dionysius toto sermone nihil aliud agit, quam ut serva se unum Callirrhoae commendet laudibusque quam luculentissimis efferat.

In praepositione erratum est, ut saepe fieri solet, pg. 46, l. 6: *ἐφ ὅλης τῆς οἰκίας ὡς τεϑνεῶς ὁ δεσπότης ἐπενϑεῖτο*: certo dederat Chariton *ὑφ' ὅλης τῆς οἰκίας*. *οἰκία* enim est familia, servi.

Vix quidquam, credo, potest esse certius, quam hoc, ut verba pg. 48, ll. 9—12: *Διονύσιος δὲ ἀνὴρ πεπαιδευμένος κατείληπτο μὲν ὑπὸ χειμῶνος καὶ τὴν ψυχὴν ἐβαπτίζετο, ὅμως δ' ἀνακύπτειν ἐβιάζετο καϑάπερ ἐκ τρικυμίας τοῦ πάϑους*, a librario aliquo sciolo supposita sint. Nam ut ea agnoveris, quam inepte sunt subjuncta prioribus, quam non idonea huic quidem loco et argumento, quam omnia denique claudicant! Contra amputatis iis nihil potest esse concinnius, nihil clarius, quam in hac parte sermonis ratio atque progressus. Et ut nihil desit ad sensus omnibus ex numeris consummationem et absolutionem, etiam verba subsequentia *ἐν ἐρημίᾳ μέλλω γαμεῖν ὡς ἀληϑῶς ἀργυρώνητον* interrogative proferantur.

Duos hos locos 50, 15 *ἡ Ἀφροδίτη γαμεῖ*, et 115, 30 *διὰ σὲ ἔγημα μετὰ Χαιρέαν* quum omnes, quod sciam, intentatos reliquissent, ego primum in hanc incidi opinionem, ut arbitrarer posteriores nonnullos consuevisse dicere *γαμεῖν* de femina; quod quia nunquam factum est (ego certe nullum unum locum praeter hos investigare potui), omnino corrigendi sunt *γαμεῖται* — *ἐγημάμην*. Mendarum causa fortasse erat haec, quod librarius medium per compendium scriptum minus bene intelligebat.

Apparet in codice 3, 3, 5 *διὰ τοῦτο καὶ αἰφνίδιον ἀπέϑανεν*, *ἵνα μὴ νοήσῃ*, quod nullo modo ferri potest.

Facere non possum, quin editori principi assentiar suspicato legendum *νοσήση*. Luculenter ille pg. 239 disputavit de superstitione veterum, qua optabant integris membris et corpore quam minime per morbos et moram deformato tabidove mori et sepeliri; atqui Callirrhoe, ut a deo rapta, imprimis digna erat, quae formosa et intacta ad illum abiret. Exstat versus in Menandreis (fab. Aesop. ed. Schneid. pg. 155) *ὃν γὰρ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος*. Quid, nonne eum quem dii dilectum teneris annis ad sese vocarent, formosum et salvo etiam corpore defungi fas erat?

Scribendum censeo pg. 51, 29 *ἀπολογοῦμαί σοι, δέσποινα, περὶ τῆς ἐμῆς ψυχῆς*, ut Thucydides dixit 1, 72: *ἔδοξεν αὐτοῖς παριτητέα ἐς τοὺς Λακεδαιμονίους εἶναι τῶν μὲν ἐγκλημάτων πέρι μηδὲν ἀπολογησομένους κ. τ. λ.*

Paullo post linea 31 foeda macula adspersa est verbis *ζητήσω γάρ σε διὰ γῆς καὶ θαλάσσης, κἂν εἰς αυτὸν ἀναβῆναι τὸν ἀέρα δύνωμαι.* Namque quum illud *εἰς τὸν ἀέρα ἀναβῆναι*, quod Graecis erat in proverbio (cf. 3, 2, 5: *εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβάς*), nihil sit, nisi: omnibus viribus niti, nemo non videt notionem *τοῦ δύνασθαι* ab hoc loco alienissimam esse; neque vero perfacilis medicina non suppetit, quum legimus vel: *κἂν εἰς αὐτὸν ἀναβῆναι τὸν ἀέρα δέῃ μοι* vel *δέον ᾖ μοι*.

Hoc quoque in transcursu moneo, ut legatur pg. 54, l. 30 *ἤγαγον καὶ αἱ γυναῖκες*, quod suadent loci quum alii multi, tum hi; pg. 5, 14. 28, 17. 39, 19. 54, 23. 152, 24.

Vehementer miror Hercherum, ceteroquin diligentem et ad dicendi consuetudinem perspiciendam attentissimum, non vidisse verborum, quae sunt pg. 58, 21: *ταῦτα λέγουσα περιέρρηξε τὸ στῆθος*, labem et manifestam et quae facili opera abstergeretur. Quis est enim, qui non videat legendum *περιέρρηξε τὴν ἐσθῆτα*? collatis locis pg. 67, 29: *ἀκούουσα ἡ γυνὴ τὴν ἐσθῆτα περιερρήξατο*. 87, 25: *περιερρηξάμενος τὸν χιτῶνα*. 123, 1: *καταρρηξάμενος οὖν τὴν ἐσθῆτα.*

Magnopere mihi placet Abreschii facillima mutatio pg. 77, 5: *βούλομαι γάρ σε μηδὲ μίαν ἡμέραν ἀπεζεῦχθαι τῆς γυναικός*; quamquam nihil est, quod non *μηδεμίαν* aliquis codicis vestigiorum tenacior servaverit.

Proxima verba, in quibus offendo, mihi occurrunt pg. 83, 3: *εἰ δὲ καὶ ἄλλως ἀθετήσειεν.* In iis autem ipsis quum nihil insit, quod sermoni repugnet, totus Mithridatis sermo universe considerandus et repetendus est. Is enim adulterii accusatus quum per litteras jussus esset coram rege causam dicere, adeo perterritus est, ut statim mente agitaret Dionysio interfecto et Callirrhoe rapta a rege deficere. Hanc autem rem secum ipse velut cum altera persona loquens feliciter evenire posse sperat ob linginquitatem regis militumque ignaviam: Deinde pergit nihil sibi gravius imminere posse, etiamsi defectio minus prospere succedat. Quod quum ita sit, nihil potest esse magis perspicuum, quam hoc, legendum esse *εἰ δὲ καὶ ἄλλως ἀθετήσειας*, ut haec verba prioribus illis apte opponantur *τάχα δὲ κρατήσεις ἐνθάδε μένων.* Neque vero illa cum Reiskio interpretaberis: „aut si aliquid aliud contumeliae in te decernat", sed ita: etiamsi vero frustra defeceris.

Constans, ni fallor, Charitoniani sermonis usus me cogit, ut pg. 48, l. 2 *ἀνήρ* post vocem *πεπαιδευμένος* inseram, cf. 2, 4, 1. 5, 5, 1. 6, 5, 8.

Haec verba leguntur 5, 1, 3: *ὡς δ' ἧκεν ἐπὶ τὸν ποταμὸν Εὐφράτην, μεθ' ὃν ἤπειρός ἐστι μεγάλη, ἀφετήριον εἰς τὴν βασιλέως γῆν τὴν πολλήν....* Quam sit absurdum terram continentem appellari *ἀφετήριον*, locum, ex quo quis proficiscitur, res ipsa docet. Sed Charito ipse quid dederit, palam fiet ex eo, quod antiquis temporibus ii, qui in Persas proficiscebantur, Euphratem apud Thapsacum transjiciebant, cf. Strab. 16, 1. pg. 349 Tauch.: *ἀπὸ Θαψάκου, καθ' ὃ ἦν τὸ ζεῦγμα τοῦ Εὐφράτου τὸ παλαιὸν ἐπὶ τὴν τοῦ Τίγριος διάβασιν.* Posterioribus tamen saeculis aliquanto superius illum superabant prope oppidum Zeugma cf. Strab. pg. 350: *τὰ μὲν πρὸς τῷ Εὐφράτῃ καὶ τῷ Ζεύγματι τῷ τε νῦν τῷ κατὰ τὴν Κομμαγηνὴν καὶ τῷ πάλαι τῷ κατὰ τὴν Θάψακον.* Ergo quacunque scriptor mulierem iter fecisse finxit, duae offerebantur urbes peragrandae atque hoc loco multo magis memoria dignae, quam nescio quae continens. Quare equidem lego et emendo pro *ἤπειρός ἐστι μεγάλη*: *ἦν πόλις μεγάλη.* Sed ne illud *μεθ' ὃν* quidem tale est, ut in eo acquiescere possimus. Cur enim Charito

de Nicephorio (sive mavis Callinico) et Apamea, urbibus exadversus illas duas positis trans Euphratem potius cogitaret, quam de iis, quae prius erant intrandae? Pusillam mutationem si mihi concesseris quamque vix mutationem nomines (cf. Buttmanni gr. med. ed. 19 pg. 484), ut legam *καθ' ὅν*, tota res salva erit.

Quae paullo post l. 24 in Florentino leguntur: *τύχη βάσκανε καὶ μιᾶς γυναικὸς προσφιλονεικοῦσα πολέμῳ* ita fortasse emendanda sunt, ut scribatur *τ. β. κατὰ μιᾶς γυναικὸς π. π.*, quemadmodum *πόλεμός τινος*, bellum in aliquem susceptum, non dicitur, sed *π. κατά τινος*.

Verba, quae sunt pg. 90 l. 10: *ἀλλ' ὁ Διονύσιος μὲν ἄκων καὶ στένων ὑπ' αἰδοῦς τὴν Καλλιρρόην προελθεῖν ἠξίωσε*, vide, ne ita sananda sint, ut *δέ* post *αἰδοῦς* inseratur: Dionysius invitus gemensque, reverentia tamen coactus.

Ea quoque, quae pg. 91 l. 17 apparent: *ζῆν γὰρ οὐδέποτε Χαιρέαν προσεδόκα*, tum demum ferri posse puto, quum legerimus *οὐδέπω*: non amplius vivere enim Chaeream opinabatur.

Quae ejusdem paginae lin. 24 et 25 in libris omnibus leguntur: *ποῖος ἀγὼν Ὀλυμπικὸς ἢ νύκτες Ἐλευσίνιαι προσδοκίαν τοσαύτην ἔσχον σπουδῆς*, in iis tum demum damnum erit resartum, si revocaveris... *προσδοκίας τοσαύτην ἔσχον σπουδήν*. Vide ex multis ejusdem modi dictis haec duo: Plat. Euthyd. 306 D.: *ἄλλων μὲν πολλῶν σπουδὴν τοιαύτην ἐσχηκέναι* et Eurip. Alc. 778: *Θυραίου πήματος σπουδὴν ἔχων*.

Hercherus lacunam significavit pg. 95 l. 31, videtur enim illi *χρήσονται* vel simile aliquid excidisse. Quod mihi minus placuit: fortasse enim verborum integritas evinci poterit parvula mutatione admissa; nam scribentes *καταφρονήσῃ* medium habebimus loco passivi prolatum, quod saepe factum est. cf. Philol. Suppl. I. IV. pg. 458.

Idem ille inchoavit, non absolvit emendationem hujus loci, qui est pg. 96, lin. 16 et 17; namque ut ibi *ἡ* ante *πρόνοια* recte immisit, ita non animadvertit vocem *ἄξιον* alienam esse a sensu et ratione verborum: nam certo est scribendum *αἴτιον*. Sed in talibus saepe erratum est et in ipso Charitone iterum pg. 149, 17, ubi quantocius restitue *τί γὰρ ἀγαθὸν ἐποίησά σοι*; propter praecedentia *σὺ γὰρ εὐεργέτης ἐμός*.

Rescribendum est, si quid judico, pg. 97 l. 18 *εἰ δέ γε καὶ ἀκόλαστος καὶ ἀσελγὴς ἐτύγχανον, ἐποίησεν ἄν με βελτίω τὸ παρὰ σοῦ τοσαύτας πόλεις πεπιστεῦσθαι. Τίς γὰρ οὕτως ἐστὶν ἀνόητος, ἵνα ἕληται τὰ τηλικαῦτα ἀγαθὰ μιᾶς ἡδονῆς ἕνεκεν ἀπολέσαι καὶ ταύτης αἰσχρᾶς*; quo clarior sit et lucidior sententiarum nexus.

Scribendum esse *φωνὴν ἐπῆρε καὶ ὥσπερ ἐπὶ θειασμοῦ, θεοὶ, φησὶ, βασίλειοι κ. τ. λ.* pg. 98 l. 30, lectorem docebit lexicon Passow ed. nov. vol. II pg. 1034.

Ὅτι ἐκάλει οὐκ ἔξωθεν τὴν κρίσιν ἐπ' αὐτόν pg. 100 l. 15 aspirata littera scribere dubitavit Dorvillius, injuria tamen, nam ipsa grammatica postulat *ἐφ' αὑτόν.*

Dionysius postquam ex causa cecidit, haec lamentatur 5, 10, 3: *οὐκ ἔδει Μίλητον καταλιπεῖν. Βαβυλὼν ἡμᾶς ἀπολώλεκεν. Τὴν μὲν πρώτην νίκην νενίκημαι· Μιθριδάτης μου κατηγόρει.* In quibus omnia bene procedunt usque ad ultimam vocem *κατηγόρει*, quae in cetera illius verba minime quadrat. Neque enim in hoc erat posita calamitas, quod a Mithridate in judicium vocatus esset, neque id ipsum verum erat, sed in eo, quod reus causam perdiderat. Huc quoque accedit temporis imperfecti quaedam incommoditas. Quare mihi melius aliquid quaerenti, quod praecedentibus simile esset, in mentem venit Charitonem fortasse dedisse *καταδικάζεται*, vel etiam *κατακρατεῖ*, quamquam huic quidem in tali re locum non esse puto.

Οὐκ οἶδα Καλλιρρόη τίνα θέλει est pg. 103 l. 15; sed fortasse per antiptosin scribendum *οὐκ οἶδα Καλλιρρόην τίνα θέλει*, cf. pg. 33, 17. 60, 16. 78, 11. 95, 23.

Post *ἀναβαίνοντος* pg. 104 l. 25 supplendum est *δέ*, quaeque mox librum V. concludunt *ἤδη δὲ καὶ ἡ προθεσμία τῆς δίκης καθειστήκει* Graecitati repugnabunt, nisi posuerimus *ἐφειστήκει*, quemadmodum recte ille pg. 105, 29: *νὺξ ἐκείνη τελευταία πρὸ τῆς δίκης ἐφειστήκει.* Notum est, quam saepe sigla socordem scribarum gentem fefellerint.

In percensenda Hercheri annotatione critica video illum quoque sensisse, quam non sit idonea vox *ἀγνοεῖς* pg. 106, l. 27 *Τίς εἶ; Καλλιρρόης ἐραστὴς ἢ δικαστής; μὴ ἐξαπάτα*

σεαυτὸν ἀγνοεῖς μὲν, ἀλλ' ἐρᾷς, eumque scripsisse *ἀρνῇ*. Quod, si ad sensum respexeris quamquam minime est improbandum, tamen mihi aliquid quaerendum esse putanti, quod propius accederet ad similitudinem litterarum, in mentem venit scriptum fuisse *ἀπόφῃς*.

Ibidem lin. 29, ut legamus *βλέψῃς* et pg. 128, l. 27 *καλέσωμεν*, nos monet grammaticae certissima analogia, cf. pg. 114, 22 et 32. 133, 4. 145, 21. 150, 18.

Nonne legendum est pg. 107, l. 28, ubi libri praebent *καὶ ᾄδοντος ἠκούετο μέλος*, aut *καὶ ᾀδόντων ἠκούετο μ.*, aut *κ. ᾄδοντες ἠκούοντο μέλος*?

Dupplex vitium l. 6, c. 2, p. 10. Hercherus ne significare quidem dignatus est, nedum sanare. Neque enim quid sit *εἰ δ' οὖν ἐκείμην ταύτην μετὰ ταῦτα κερδήσας*, satis intelligi potest, neque illa *ὢ θανάτου καλοῦ, μεθ' ὃν ἤκουσα τὸν δεύτερον Καλλιρρόης γάμον*, omnino ferri debent, omni enim sensu carent. Et illius loci sat erit commemorasse Reiskianam emendationem *εἰ δ' οὖν, ἐκείμην τὰ μετὰ ταῦτα...*; in hoc autem altero vel cum Beckero legemus *μεθ' ὃν οὐκ ἂν ἤκουσα*, vel, si cui hoc audacius videbitur, *μεθ' ὃν ἠγνόησα*, post quam non compertus essem....

Sic legere volo pg. 110, l. 1: *οὐδὲ γὰρ πρότερον ἀνύποπτος ἦν, ἀλλ' ᾐσθάνετο μὲν τυφομένου τοῦ πυρὸς, τότε γε μὴν...*, ut priora verba habeant, quod recte iis opponatur.

Non facio cum Herchero, qui pg. 110, l. 17 *ἐλεγχθῆναι γὰρ οὐ βούλεται πόλιν εἰποῦσα οὐ μίαν τῶν ὑφ' ἡμᾶς, ἀλλ' ὑπὲρ τὸν Ἰόνιον καὶ τὴν πολλὴν θάλασσαν τὸν περὶ αὐτῆς μῦθον ἐκπέμπει*, post vocem *εἰποῦσα* negationem suppressit; quo facto, credo, ille etiam damnum quoddam Graecitati intulit. Hac enim lectione admissa, qui in his verbis sensus alius inesse potest, nisi hic? non vult convinci se ex nostris aliquam urbem nominare; quod ab hujus loci natura et ratione quam maxima abhorret. Si autem illud *οὐ* servaveris, Chariton regem et recte et perspicue hoc loquentem facit: illa quum non ullam ex nostris urbibus nominavit, significavit, se mendacii nolle coargui.

Ceterum paullo ante quid faciam verbis *πλὴν οὐχ ὁμό-*

λογα, mihi quidem parum liquet; aut ineptum sunt emblema, aut nonnulla ante ex textu evanuerunt.

Insulso additamento ejusdem paginae lineam 8 librarius foedavit *ἐξουσία δὲ ἔρωτα καταλύει*. Tu hoc confidenter ejecto quae sequuntur refer ad priora illa *ποῖον κάλλος δύναται τῆς σῆς κρατῆσαι, δέσποτα, ψυχῆς, ᾧ τὰ καλὰ πάντα δουλεύει*, i. e. omnia tibi bona fruenda suppeditant excepta fortasse dea aliqua in terram degressa.

ἄπιθι δὲ et *θῦε δὲ* exstant 112, 29 et 114, 20; sed multum juvabit concinnitatem sermonis legisse *δή* pro *δέ*.

Dupplici pesti eaque magna affecta vides verba pg. 113, lin. 7 et 8 *νομίζων πρὸς ὑπηρεσίαν ὑπεσχῆσθαι, βραβεύσειν δὲ λοιπὸν ἅρμα βασιλικόν*. Nihil est *πρὸς ὑπηρ. ὑπ.* atque perperam interpres: „putans nempe splendidum adire ministerium". Ego tamen de hoc nihil pro certo affirmare audeam, sive *πρὸς* corruptum est, ut *προςηνῆ* legendum aliquis fortasse conjiciat, sive *πρὸς ἡδονὴν* snpplendum (cf. 112, 26 *πρὸς ἡδονὴν γὰρ ἦν*). Quod autem alterum in libris omnibus legitur *βραβεύσειν δὲ λοιπὸν ἅρμα βασιλικόν*, quis est, qui Charitonem hoc verbo *βρ.* aliquoties recte atque ordine usum (cf. pg. 79, 11. 103, 24. 107, 1.) eo dementiae progressum esse existimet, ut *βραβεύειν ἅρμα* dixerit? quod omni sensu et ratione carere quilibet vel mediocriter Graecis imbutus litteris et videt et sentit. Neque quemquam fore confido, qui hic de nobili illo et magnifico curru regis Persarum a Jamblicho descripto cogitet, cf. Erot. ed. Herch. praef. pg. LXVI. Sed mihi mecum hoc saepe reputanti et iterum iterumque perpendenti tandem opem tulerunt Himerii verba or. 5, 13: *τοῦ δήμου δὲ πάντα βραβεύοντος*: quum penes populum summa esset potestas. Ita igitur emendandus Chariton: *βραβεύσειν δὲ λοιπὸν ἅπαντα τὰ βασιλικά*; sunt autem *τὰ βασιλικὰ* res regiae, quem ad modum *τὰ δημοτικὰ* res populi apud Alciphronem 1, 4: *οἱ μὲν γὰρ ἢ μένοντες εἴσω πυλῶν τὰ δημοτικὰ διαπράττουσιν....*

Vitiatum mihi videtur *ὁμιλία πρώτη* pg. 116, l. 7; sed quid in *πρώτη* delituerit, ego eruere non potui; videant alii de hac re.

Vel lacuna laborant, vel falso sunt disposita haec pg. 118,

l. 5: *μόνοις γὰρ τούτοις οὐδὲ ἀποθανεῖν θέλουσιν ἔξεστιν.* Maxime obvium est mutatis locis legere *μ. γ. τ. οὐδὲ θέλουσιν ἀποθανεῖν ἔξεστιν*, cf. Soph. Phil. 982. Sed possis etiam *μ. γ. τ. οὐδὲ ἀποθανεῖν οὐδὲ θέλουσιν ἔξεστιν*; ut Thuc. 7, 44: *ἦν οὐδὲ πυθέσθαι ῥᾴδιον ἦν οὐδ' ἀφ ἑτέρων.* cf. Eurip. Iph. Aul. 1395.

Corruptionem esse, non emendationem illud *μονονουχί* pg. 121, 10 *ἐδόκει δὲ μονονουχὶ καὶ χάριν ἔχειν τῷ πολέμῳ διακόψαντι τὴν βασιλέως ἐπιθυμίαν ὑπὸ ἀργίας τρεφομένην*, quod ex duobus *μοὶ καὶ* Hirschigius consarcinavit ab Herchero laudatus docet locus pg. 99, l. 20 *ἐδόκει δ' ἄν μοι καὶ βασιλεὺς τότε θέλειν Χαιρέας εἶναι*; qui et ipse bene se habebit, si *ἄν* expunxeris.

Verba manifesta corrupta pg. 128, l. 8 *στρατηγῷ καὶ τὴν ἀρχήν μοι ὑμεῖς δεδώκατε* interim sic emendanda propono: *στρ. καὶ τ. α. ἥν μοι ὑμεῖς δεδώκατε, ὑποδέχομαι.*

Erat *μέχρι ποῦ με πολεμεῖς* pg. 131, l. 1 ante Hercherum, quod ille Graecitatis causa in *μέχρι πότε* mutavit. At *μέχρι ποῦ* citat Thesaurus v. *ποῦ* ex Gregoriorum alterutro; melius dixisset *μέχρι ποῖ*, ut Xen. h. gr. 4, 7, 5.

Et facilem et perspicuam emendationem habemus pg. 133, l. 23, ubi pro *ἀλλὰ αἱ μὲν (νῆες) εὐθὺς ἀνετράπησαν* i. e. perierunt, postulatur *ἀνεστράφησαν* in fugam sunt conversae, propter praecedentia *οὔτε γὰρ τὰς ἐμβολὰς ἐδέξαντο τῶν Αἰγυπτίων τριηρῶν, οὔτε ὅλως ἀντίπρῳροι κατέστησαν.* Testimonio sunt loci Xenophontis Cyr. d. 2, 1, 9 an. 1, 10, 12. h. gr. 6, 2, 20. Plat. Lach. pg. 191 C.

Quamquam extremum caput libri VII. aliquot lacunis aliisque difficultatibus laborat haud exiguis aut occultis, solus tamen princeps editorum Dorvillius sensit ad verba 134, 24 *στὰς δὲ παρὰ τῇ θύρᾳ κεκλεισμένῃ* haec annotans: „haec periodus et narratio tota difficultatibus carere non videtur etc.“ Quae quo facilius cognoscantur et perspiciantur, totum caput hic typis describendum curavimus.

Pg. 133 Herch. *Καὶ ἐν μὲν τῇ γῇ ταῦτα ἐπράσσετο· ἐν δὲ τῇ θαλάσσῃ Χαιρέας ἐνίκησεν, ὥστε μηδὲ ἀντίπαλον αὐτῷ γενέσθαι τὸ πολέμιον ναυτικόν· οὔτε γὰρ*

τὰς ἐμβολὰς ἐδέξαντο τῶν Αἰγυπτίων τριηρῶν, οὔτε ὅλως ἀντίπρῳροι κατέστησαν, ἀλλὰ αἱ μὲν εὐθὺς ἀνετράπησαν, τὰς δὲ καὶ πρὸς τὴν γῆν ἐξενεχθείσας ἐζώγρησεν αὐτάνδρους· ἐνεπλήσθη δὲ ἡ θάλασσα ναυαγίων Μηδικῶν. Ἀλλ' οὔτε βασιλεὺς ἐγίνωσκε τὴν ἧτταν τὴν ἐν τῇ θαλάσσῃ τῶν ἰδίων οὔτε Χαιρέας τὴν ἐν τῇ γῇ τῶν Αἰγυπτίων, ἐνόμιζε δὲ ἑκάτερος κρατεῖν ἐν ἀμφοτέροις. Ἐκείνης οὖν τῆς ἡμέρας, ἧς ἐναυμάχησε, καταπλεύσας εἰς Ἄραδον ὁ Χαιρέας τὴν μὲν νῆσον ἐκέλευσε περιπλέοντας ἐν κύκλῳ παραφυλάττειν, ὡς αὐτῆς ἀποδώσοντας λόγον τῷ δεσπότῃ. Κἀκεῖνοι τοὺς μὲν εὐνούχους καὶ θεραπαινίδας καὶ (pg. 134) *πάντα τὰ εὐωνότερα σώματα συνήθροισαν εἰς τὴν ἀγοράν, αὕτη γὰρ εὐρυχωρίαν εἶχε. Τοσοῦτο δὲ ἦν τὸ πλῆθος, ὥστε οὐ μόνον ἐν ταῖς στοαῖς, ἀλλὰ καὶ ὑπαίθριοι διενυκτέρευσαν. Τοὺς δὲ ἀξιώματός τι μετέχοντας εἰς οἴκημα τῆς ἀγορᾶς εἰσήγαγον, ἐν ᾧ συνήθως οἱ ἄρχοντες ἐχρημάτιζον. Αἱ δὲ γυναῖκες χαμαὶ ἐκαθέζοντο περὶ τὴν βασιλίδα καὶ οὔτε πῦρ ἀνῆψαν οὔτε τροφῆς ἐγεύσαντο· πεπυσμέναι γὰρ ἦσαν ἑαλωκέναι μὲν βασιλέα καὶ ἀπολωλέναι τὰ Περσῶν πράγματα, τὸν δὲ Αἰγύπτιον πανταχοῦ νικᾶν.*

Ἡ νὺξ ἐκείνη καὶ ἡδίστη καὶ χαλεπωτάτη κατέσχεν Ἄραδον. Αἰγύπτιοι μὲν γὰρ ἔχαιρον ἀπηλλαγμένοι πολέμου καὶ δουλείας Περσικῆς, οἱ δὲ ἑαλωκότες Περσῶν δεσμὰ καὶ μάστιγας καὶ ὕβρεις καὶ σφαγὰς προσεδόκων, τὸ φιλανθρωπότατον δέ, δουλείαν· ἡ δὲ Στάτειρα ἐνθεῖσα τὴν κεφαλὴν εἰς τὰ γόνατα Καλλιρόης ἔκλαεν· ἐκείνη γάρ, ὡς ἂν Ἑλληνὶς καὶ πεπαιδευμένη καὶ οὐκ ἀμελέτητος κακῶν, παρεμυθεῖτο μάλιστα τὴν βασιλίδα. Συνέβη δέ τι τοιοῦτον. Αἰγύπτιος στρατιώτης, ὁ πεπιστευμένος φυλάττειν τοὺς ἐν τῷ οἰκήματι, γνοὺς ἔνδον εἶναι τὴν βασιλίδα, κατὰ τὴν ἔμφυτον θρησκείαν τῶν βαρβάρων πρὸς τοὔνομα τὸ βασιλικὸν ἐγγὺς μὲν αὐτῇ προσελθεῖν οὐκ ἐτόλμησε, στὰς δὲ παρὰ τῇ θύρᾳ κεκλεισμένῃ· "θάρρει, δέσποινα" εἶπε, "νῦν μὲν γὰρ οὐκ οἶδεν ὁ ναύαρχος ὅτι καὶ σὺ μετὰ τῶν αἰχμαλώτων ἐνταῦθα κατεκλείσθης, μαθὼν δὲ προνοήσεταί σου φιλανθρώπως·

οὐ μόνον γὰρ ἀνδρεῖος, ἀλλὰ καὶ γυναῖκα ποιήσεται· φύσει γάρ ἐστι φιλογύναιος." Ταῦτα ἀκούσασα ἡ Καλλιρρόη μέγα ἀνεκώκυε καὶ τὰς τρίχας ἐσπάραττε λέγουσα "νῦν ἀληθῶς αἰχμάλωτός εἰμι. Φόνευσόν με μᾶλλον ἢ ταῦτα (pg. 135) *ἐπαγγέλλου. Γάμον οὐχ ὑπομένω· θάνατον εὔχομαι. Κεντείτωσαν καὶ καέτωσαν, ἐντεῦθεν οὐκ ἀναστήσομαι· τάφος ἐμὸς ἔσται οὗτος ὁ τόπος. Εἰ δέ, ὡς λέγεις, φιλάνθρωπός ἐστιν ὁ στρατηγός, ταύτην μοι δότω τὴν χάριν· ἐνταῦθά με ἀποκτεινάτω." Δεήσεις αὐτῇ πάλιν ἐκεῖνος προσέφερεν, ἡ δ' οὐκ ἀνίστατο, ἀλλ' ἐγκεκαλυμμένη πεσοῦσα ἐπὶ τῆς γῆς ἔκειτο. Σκέψις προύκειτο τῷ Αἰγυπτίῳ τί καὶ πράξειε· βίαν μὲν γὰρ οὐκ ἐτόλμα προσφέρειν, πεῖσαι δὲ πάλιν οὐκ ἐδύνατο. Διόπερ ὑποστρέψας προσῆλθε τῷ Χαιρέᾳ σκυθρωπός. Ὁ δὲ ἰδὼν "τοῦτο ἄλλο" φησὶν "ἦν. Κλέπτουσί τινες τὰ κάλλιστα τῶν λαφύρων, ἀλλ' οὐ χαίροντες αὐτὸ πράξουσιν." Ὡς οὖν εἶπεν ὁ Αἰγύπτιος "οὐδεμιᾷ γέγονε κακόν, δέσποτα· τὴν γὰρ γυναῖκα, ἣν εὗρον ἐν πλαταίαις τεταγμένην, οὐ βούλεται ἐλθεῖν, ἀλλ' ἔρριπται χαμαί, ξίφος αἰτοῦσα καὶ ἀποθανεῖν βουλομένη," γελάσας ὁ Χαιρέας εἶπεν "ὦ πάντων ἀνθρώπων ἀφυέστατε, οὐκ οἶδας πῶς μεθοδεύεται γυνὴ παρακλήσεσιν, ἐπαίνοις, ἐπαγγελίαις, μάλιστα δέ, ἂν ἐρᾶσθαι δοκῇ; Σὺ δὲ βίαν ἴσως προσῆγες καὶ ὕβριν." "Οὔ" φησί, "δέσποτα· πάντα δὲ ταῦτα, ὅσα λέγεις, πεποίηκα ἐν διπλῷ μᾶλλον. Καὶ γάρ σου κατεψευσάμην ὅτι ἕξεις αὐτὴν γυναῖκα, ἡ δὲ πρὸς τοῦτο μάλιστα ἠγανάκτησεν." Ὁ δὲ Χαιρέας "ἐπαφρόδιτος ἄρα" φησὶν "εἰμὶ καὶ ἐράσμιος, εἰ καὶ πρὶν ἰδεῖν ἀπεστράφη με καὶ ἐμίσησεν. Ἔοικε δὲ* [τὸ] *φρόνημα εἶναι τῆς γυναικὸς οὐκ ἀγεννές. Μηδεὶς αὐτῇ προσφερέτω βίαν, ἀλλὰ ἐᾶτε διάγειν ὡς προῄρηται· πρέπει γάρ μοι σωφροσύνην τιμᾶν. Καὶ αὐτὴ γὰρ ἴσως ἄνδρα πενθεῖ."*

In ipso initio capitis pg. 133 l. 31 sine ullo dubio quaedam exciderunt post verbum *παραφυλάττειν*, quibus milites narrabantur insula expugnata omnem familiam, opes, reginam ipsam (cf. 134, 16) cepisse atque omnes captivos in unum locum cogisse dividendos. Neque enim sequitur post *τὴν μὲν*

νῆσον, quod respondeat, neque *κἀκεῖνοι* habet, quo juste referatur. Quum autem in tali re potius divinandum sit, quam comprobetur certa quadam ratione, quae ipsa scriptoris verba fuerint, ob id ipsum Hercheri commentum *ὡς αὐτῆς ἀποδώσοντας* scribentis pro *αὐτοὺς* rejiciendum est.

Neque minus improbavi, quod idem ille paullo post 134, 48 mutavit *πεπυσμέναι*, pro quo recte Florentinus *πεπεισμέναι*; nam quod factum non est, id nemo resciscere potest; atqui neque rex captus erat, neque Persarum opes omni ex parte fusae erant et prostratae.

Alteram deinde lacunam statuo intervenisse post *συνέβη δέ τι τοιοῦτο* 134, 19; quam si alicunde explere liceret, haec fere legeremus: Callirrhoen utpote omnium pulcherrimam Chaereae absenti praemio tributam, militem autem quendam Aegyptium eam ad Chaeream ut praedam exspectantem deducere jussum esse, cf. 135, 9 et 11 et 15.

Tertio post duas has lacunas mihi intermittendum videtur in linea 28 post *οὐ μόνον γὰρ ἀνδρεῖος*; neque enim subsequentia *ἀλλὰ καὶ γυναῖκα ποιήσεται* prioribus respondent, immo esse debebat: *ἀλλὰ καὶ φιλάνθρωπος*; et quum *θάρρει δέσποινα* non referri possit, nisi ad ipsam reginam (cf. 26: *ὅτι καὶ σὺ μετὰ τῶν αἰχμαλώτων*...), facillimum est intellectu iis, quae sunt inde a verbis *ἀλλὰ καὶ γυναῖκα ποιήσεται*, non posse appellari, nisi Callirrhoen. Quae verba quum exordium facere minime possunt, nonnulla antea dixisse miles credendus est, quibus mulieri multa promitteret et rogaret, ne ipsum sequi dubitaret, cf. 135, 5: *δεήσεις αὐτῇ πάλιν ἐκεῖνος προσέφερεν* et 15: *οὐ βούλεται ἐλθεῖν* et 19—21. Quid autem intermissionis ansam dederit, facile cognoscitur: nempe duo cola sibi proxima a verbis *ἀλλὰ καὶ* incipiebant, ita ut librarius priore *ἀλλὰ καὶ* exarato oculis ad alterum colon negligentius aberraret.

Omni denique sensu carent verba pg. 135, 15 *ἣν εὗρον ἐν πλαταίαις τεταγμένην*; neque quidquam proficimus legendo cum Dorvillio *ἐν πλατείαις τ.*; quo facto miles neque verum diceret, (cf. pg. 134, l. 4. coll. cum linea 16) neque pluralis

esset ferendus. Hoc unum proferre audeo in *πλαταίαις* latere posse *πολλαῖς ἄλλαις.*

Salebrosus sermo expoliendus est pg. 137, l. 6 in verbis *ἐνταῦθά ἐστιν ἡ γυνή, ὦ δέσποτα, ἡ μὴ βουλομένη προσελθεῖν, ἀλλ' ἀποκαρτεροῦσα·* ita ut legatur *ἀποκαρτερῆσαι.*

Exstant in Florentino haec *παριὼν δὲ Χαιρέας εἰς τὰς τριήρεις σύνθημα λεληθὸς τοῖς τριηράρχαις δέδωκεν ἐπὶ Κύπρου κρατεῖν* pg. 140 l. 19. Quae in his verbis duo latent vitia *δέδωκεν* et *κρατεῖν*, eorum unum Hercherus ne discrevit quidem; nam Charitonem solum decet *ἔδωκεν*, nisi vero credemus eum Eustathii absurdi aetati propiorem fuisse, quam aut Heliodori aut Longi. Etiamque alterum ille parum probabiliter mutavit in *πλεῖν*; quis enim multis verbis sibi postulabit demonstrari unice verum esse *κατασχεῖν*?

Multa evanuerunt post vocem *τὸν στόλον* 146, 23 *καὶ πρῶτον ἐκεῖνον εἴασεν ἀναχθῆναι τὸν στόλον, ὡς ἀκούεσθαι μέχρι πόρρω τῆς θαλάσσης ἐπαίνους μεμιγμένους εὐχαῖς*, si quidem antecedentia illa *καὶ πρῶτον .... στόλον* hanc consecutionem minime afferre possunt, ut abeuntium clamores per multum maris exaudiantur.

Quam facile erat emendare locum pg. 145 lin. 21: *ὃν γάμον ζεῦξον* (sic enim Florentinus exhibet) comparato simillimo pg. 153 l. 11 *καὶ γὰρ τὸν γάμον ὑμῶν ἔζευξε.* Legendum igitur: *ὧν γάμον ζεῦξον.*

Particulam *δέ* reddas velim loco pg. 148, 3: *εἶπε δ' ἡ Στάτειρα.*

Diu multumque huc illuc circumspexi, si forte *πελαγίζομαι*, quod 150, 1 dixit *ναῦς ἔχων μεγάλας ἐπελαγίζετο*, vel uno exemplo unde unde repetito confirmarem; quod mihi non contigit, nam quotiescunque in hoc verbum incidi, legebatur activum haud raro apud posteriores significationem navigandi sibi vindicans. Quod quum ita sit, suspicionem habeo locum vitiatum ita sanandum esse, ut legatur *ἐπλοΐζετο*; *πλοΐζεσθαι* autem apud auctores sequioris aetatis subinde apparet. Nam probati activum sive *πλωΐζειν* sive *πλοΐζειν* dictitare malebant; medium evincit Polyb. 4, 47, 1. Diod. 3, 33. Heliod. 9, 5: *ναύτης ὑπὲρ μεσογαίας πλοϊζόμενος.* Artem. 2, 36.

Duo restant loci emendandi, unus pg. 153, 11: ὁ δὲ δῆμος ἐνεκελεύετο· ἐρωτῶμεν, ἄνωθεν ἄρξαι, πάντα ἡμῖν λέγε, μηδὲν παραλίπῃς. Alter pg. 73 l. 26: ἠρώτων, τίς ἐστιν; in quo cur offendam, tum demum potest intelligi, quum illius pravitatem perspexerimus. Nego autem illud ἐρωτῶμεν ferri posse primum, quod a sciolo aliquo interpolatum est idque ineptissime propter ἐνεκελεύετο, nam ἐρωτᾶν non est ἐγκέλευσις. Sed accedit aliud, quo etiam certius demonstretur suppositicium esse: nam neque Longus neque Xenophon, neque Tatius (duobus locis exceptis 175, 7 ed. Herch. μηδενὸς ἐρωτῶντος et 148, 28 ἐπηρώτα*)) verbo ἐρωτᾶν aut ἐπερωτᾶν unquam usi sunt. Ex quo colligo, ne Charitonem quidem utroque loco sic dicere potuisse, praesertim quum nullo alio loco hoc verbum apud eum exstet. Quae verba quoties pro ἐρωτᾶν apud quemque illorum usurpata sint, ex hisce apparebit, in quibus λέγειν, εἰπεῖν, φάναι cum interrogatione posita omitto. Plerumque in illius verbi locum, quod fastidiebant, successit πυνθάνεσθαι, quod, ubi non est comperire, apud Tatium legitur ed. Her. pg. 63, 3. 71, 8. 100, 15 et 26. 107, 19. 109, 5. 117, 24. 127, 1. 137, 17. 167, 6. 168, 6. 172, 12. 174, 8. 176, 8. Apud Xenophontem 376, 29. (πυνθάνεσθαι, comperire est 377, 1 et 8. 392, 5.) Apud Longum 260, 26. 264, 24. 266, 5. 278, 26. 288, 17. 291, 14. 296, 11. 297, 25. 298, 15. 313, 12. 314, 3. Apud Charitonem 8, 9. 20, 6. 21, 18 et 27. 34, 4. 35, 10, 44, 30. 62, 1.

ἀναπυνθάνεσθαι est apud primum 179, 20 et 186, 15. Apud Xenophontem 364, 11. 384, 10. 388, 18. Longus autem aspernatus est, ut Chariton, qui διαπυνθάνεσθαι ascivit 142, 7.

ἀνακρίνειν, quo Tatius abstinuit, apparet apud Xenophontem 378, 17. 384, 9; apud Longum 316, 17. 322, 4. In nostro inveni 55, 23. 79, 22. Idem unus etiam admisit διερευνᾶν 65, 25 et ἀνερευνᾶν 127, 16. ἐρέσθαι denique cum solo Xenophonte 360, 6 communicavit, in his locis 28, 1. 43, 10. 45, 22. 53, 13 et 32. 88, 16; quibus quin ille quoque 73, 26 addendus sit ἠρώτων in ἤροντο mutato propter ea, quae a me modo docta sunt, dubitari minime potest.

---

*) Quos corruptos certo librorum auctoritate aliquando evincetur.

Liceat mihi pauca quaedam prioribus subjicere, quae nuper demum vidi: in talibus enim dies diem docet. Legitur bis τίϑημι pg. 64, 11 et 68, 23 in precatione ita positum, ut nemo multis verbis sibi postulaturus sit demonstrari etiam huic loco, ut multis aliis, subesse librarii alicujus ineptam interpolationem. Quam ego quidem simulatque legi, et sensi et notavi, sed quum nihil sani in praesentia eruere possem, ad alia delapsus sum. Postquam autem illuc redii, prius conjectabam ἐνϑυμοῦ pro τίϑημι, nunc vix quidquam mihi magis persuasum habeo, quam exarandum οἴομαι cf. pg. 131 l. 28.

Vita scriptoris.

Natus sum Chronstaviae, vico prope Oppolium sito, in Silesia superiore patre Carolo, matre Carolotta e gente Rosiana, quorum ille mihi admodum puero immatura morte ereptus est. Fidem profiteor evangelicam. Mater marito mortuo impetravit, ut me X. annos natum orphanotropheum Boleslaviense educandum exciperet; in quo quum alii praeceptores, tum prae ceteris nominandus Augustus Kunth olim quasi mihi pater, nunc amicissimus me per annos quattuor foverunt atque instituerunt. Grata in almam matrem voluntas in alumni corde semper manebit. — Peracto quarto decimo anno aetatis Gymnasium Oppoliense adii nunc quoque sub auspiciis viri praeclarissimi Dr. Augusti Stinner laetissime florens. In eo, quos nactus sum multos egregios praeceptores et in me semper benevolentissimos, eorum grato animo recordari nunquam desinam. Maturitatis testimonio munitus anno **1850** hanc almam Viadrinam adii, cujus civibus adscriptus quattuor per annos philologicis studiis toto me animo dedi. Scholis interfui quum Ambroschii, tum Schneideri et Haasii, virorum Ill., quorum benevolentia mihi contigit, ut inter seminarii reg sodales reciperer. Atque Haasius etiam alio nomine me sibi obstrinxit. Neque vero praeter philologicas alias litteras negligendas ratus scholis vacavi etiam philosophicis et historicis apud viros Ill. Braniss, Roepell, Rückert, Kahlert, Guhrauer Tum Academia dilectissima relicta et examine pro facultate docendi feliciter superato benificio et opera Dr. Sheiberti, gymnasiorum Silesiacorum curatoris clarissimi, Palaeo-Sedini unum per annum seminarii paedagogici sodalis fui; unde in Silesiam reversus nunc in gymnasio Olesnensi doceo, collegis utor humanissimis mihique amicissimis, me consolor Terentiano illo quoniam non potest id fieri, quod vis, id velis, quod possit.

